

dicitas. Utrique enim, & Prædicatores, & Jesuitæ, quos nimis forte in partem alterutram affectus duceret, ferendi hoc in capite testimonii jure excluduntur: nec quid a se ipso Lemosius, sed quid cum Lemosio Coronellus, quid Peronius, quid Pegna, quid Zillotus scripserit, attendendum. Ut flem, Possinum, (1) & Gai-nisium nequidem cum Lemosio, si dicendi aucto-ritatem unice spectes, ulla ratione conferri posse: cum is rem narratam fuisse oculis intulit sit, ejusdemque pars magna fuerit, isti, non nisi secutus inde temporibus, domesticorum qualescum-que narrationes exceperint, scripsitque manda-rint.

Meliori fortasse jure facti testes appellarentur Janus Nicius Erythraeus, Nicolaus Antonius, Aubertus Miræus, Ludovicus Morerius, quorum nobis prolixæ factis de Gregorio a Valentia testi-monia recitas. At il de re, quæ nunc agitur, nihil habent. Gregorii quidem laudes exequun-tur, quem, Romam ascitum, magna illic, ac tam Neapoli, eruditionis fama valuisse, ajunt: additque Janus Nicius, hunc semel, inter dispa-tandum, a Clemente VIII. federe iustum, quod ita vehementer sponacho laboraret, ut stare non pos-set: quod quidem a Lemosio (2) nostræ me-moria proditum est. Verum nihil illi de facto, quod jam in controversiam adducitur, vel obiter innuunt, unde momentum peti possit. Nisi forte inofficiali argumento pugnare velis, ut Gregorium, vizitati Augustini convictum, atque ob id a Cle-mente increpitum, neges, quod isthæc laudati Scriptores silentio præterierint. At Theologum virum, qualem te factas, scire oportuit, dupli-cem esse negantis argumenti legem, ut quid inde colligi possit: primam, ut affirmantia in op-positum argumenta non extent; qualia tamen ad facti, quod expendimus, probationem, multa de-dimus lib. 3. cap. 5. secundam, ut, qui factum aliquid silentio misisse perhibetur, illud tum maxime præterierint, cum, ut referretur, susce-pit operis ratio postulabat: qualis profecto nulla erat, ut res plena dedecoris, & infamæ ab iis scriptoribus præferretur, qui pauca admodum de Gregorio delibabant, ejusdemque laudes, pro sus-cepti muneris parte, exequabantur. Quandoqui-dem autem Morerium iis scriptoribus accensere libuit, qui Valentia catastropham silere, istud ad cumulam accipere: nuperos Moreriani Dictionarii amplificatores, & correctores, hoc ipsum, quod Auctor omiserat, addidit de suo, hocce ad articulum istum adjecto corollario: Voyez l'Histoire de la Congregation de Auxiliis &c. où il est dit, que le Père de Valentia tomba a demi mort, dans cette Congregation, pour avoir esté surpris dans la falsification d'un passage de S. Augu-stin. Hoc est: Legatur Historia Congregationis de Auxiliis &c. Ubi habetur, Gregorium de Valentia pene exanimem corruisse, quod in ipso adulterati contextus D. Augustini delicto deprehensus fuisset.

Jam quæ tanto congeris studio, ut peculiaræ Lemosii narrationem, ridiculam, ac puerilem rixæ simillimam probes, ridiculum, ac puerilem argu-ratorem verius sapiunt, quam Theologiæ Profes-sorem emeritum. Equid enim pugnat, Grego-rium Augustini verba, librum ipsum, ut Lemosius memorat, læditando corruisse? Quasi vero necesse illi fuisset, ut ais, Tomos Operum S. Au-gustini, facile septem, aut octo secum asserre, ex quibus testimonia Augustini in hac concertatione ci-rata fuerant. Auctoritate quippe Pontificis provi-sum erat, ut Augustini, cæterorumque, quorum

frequentior usus erat, Doctorum volumina in ipso conclavi, ubi concertationes illæ fierent, fervarentur: non quo singula in ipsis fontibus legerentur testimonia; sed sicuti forte de laudati alicujus testi-monii fide dubium esset. Nec sua omnia de scripto recitabant viri Theologi, ut truncatis Hi-storiæ meæ verbis evincere satagis; sed primas duntaxat ad proposita disputationum argumenta responsiones: Quæcumque vero (Historiæ meæ verba sunt, abs te cate dissimulata) ad argumen-tationes urgendas, consultandas, vel diluendas, utrius-que superveniunt, ex tempore, atque affluente Minerva, schola more proferebant. Quid etiam ab omni veri specie alienum videatur, Valentiam Augusti-ni textum, lib. 19. De Civit. cap. 13. sponte, ac de industria corruisse, tamen illam ipsum, una cum cæteris inspicendum, Pontifici dedidit die 25. Maii, in eo prolixo locorum D. Augu-stini indiculo, de quo lib. 3. cap. 2. dictum est? Id quippe ea verisimilitudine factum, qua tu ipse tot Academiæ instrumenta, totque Historiæ nostræ contextus sponte, ac de industria corruisse; tamen quamlibet corruisset, a me quasi de specula observandam, atque in orbis literarii luce ponendam, certo prospexeris. Quo enim ma-jores litigatores non adigat contracta tuenda causæ obligatio! Nec vero ita de facili deprehendam vitiationem, prælagiebat Gregorius de Valentia: seu quod suo illo jam pridem oblato D. Augusti-ni locorum indiculo libros duntaxat adnotasset, & capita, quæ cum Molina sententias conferri vellent; a verbis autem profereendis penitus abstinisset: seu quod adstantium neminem tam præ-senti memoria futurum, crederet, ut non modo singula Augustini loca, numero ferme trecenta, oblato ante menses quatuor indiculo adnotata, re-tineret; verum etiam singula eorumdem verba haberet in numerato; quo vel unius particule mu-tationem illico deprehenderet. Quid tandem, ut cuncta dispungam, impossibile videatur, Valen-tiam, mentis vertigine captum, in terram corruisse, quamquam is, non itans, sed sedens dispu-tationi operam daret? Quasi sedentem rure, im-possibile sit, si fidemque exuperet, sacerdotem He-li E. G., accepto nuncio, præcipitum corruisse; quod sedens, non itans, nuncium acceperit: cum tamen 1. Reg. cap. 4. scriptum legamus: Cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est. Aut forte Gregorium tuum honoraria sella, dorso, & cubitalibus instructa, sedisse pu-tandus sit, unde haud ita facile casus fieret; cum interim Eminentissimi Principes non nisi nudis sediculis, præserte Pontifice, ut motus est, considerent: Vel denique Valentia ita federet, ut nunquam inter disputandum pedibus steterit.

Seat ergo, velis, nolis, indubitata Valentia catastrophe, nullis a te congestis cavillationibus infirmata. Tam gravis porro, tamque funestus Moliniani Athletæ casus, nativo licet, ac sim-plici sermone descriptus lib. 3. cap. 5. Historiæ nostræ, satis per se se lectorum animos movet, quin tibi mirum accidere debeat, quod nihil, ad eam narrationem orandam, ex Hyacinthi Cho-quetii fabulis addiderimus. Illud meliori jure a-quis æstimatoribus mirum accidit, quod tu toties Romanam in Choquetium damnationem obruda-s, ut Lemosii, cujus ille laudes intemperanter exequitur, famam arrodas, ludamque lectoribus facias: tanquam Viro summo fraudi posse esse inconculsi scriptoris intemperantia, Romanis cen-suris inulta. Id certe perinde est, ac si quis divi Ignatii (3) famam impudenter arrodere, eun-dem-

demque ridendum lectoribus propinaret; quod nu-perus laudum ejus immodicus prædicator censuris inultus sit: aut si Viri Dei præclare gesta, a summis licet scriptoribus celebrata, vocaret in dubium, quod Romano librorum veterum indico-culo legatur inserta, Vita S. Ignatii de Loyola, Fundatoris Societatis Jesu, excerpta, atque collecta ex Bulla, & instrumentis Canonizationis ejus, aliis-que probatis Auctoribus.

CAPUT IV.

Reliqua quinti hujus examinis errata historica, ca-lumnia, convicia perstringuntur, ad ultimam usque sub Clemente Congregationem.

AD disputationem duodecimam, quæ de Mo-lina cum Cassiano consonantia in Congre-gatione decima septima habita fuit, exclamas, confictum a me, & quidem parum ingeniose, ac præter omnem fidem, Arrubalem, qui Valentia, male mulctato, succedens datus erat, Cassiani tandem vindicta suscepisse. Ita ne vero? Id ego confixi, atque, quod pejus est, ingeniose parum, ac præter fidem? Atqui ego ipsam Arrubalis ar-gumentationem, qua Cassiani causam agere tan-dem cepit, ex Notarii Commentariis ad verbum expressi, ac peculiari etiam characterè distinxit, ne quis a me solum obtenderet. Quin tu ergo, siquidem scilicet oblatas, genuina, quæ corru-perim, Notarii verba repræsentas, ne tu verius illata mihi calumnia reus habearis? Sed & Lemosius in Actis, superme publicatis, meam in eo facto referendam fidem absolvit, qui has etiam, ab Arrubale susceptas, Cassiani vindictas notat pag. 366. Præterea prædictus Arrubal cepit legere in Bavonia, quod Cassianus multa verba dixit. Et cum legeret, dixit ei Sanctissimus: Quid in hoc præterendis? Cui statim dixit Frater Thomas: Jam Beatissime Pater, volunt defendere ab errore Cassia-num ipsum &c. Quid id porro fidem exsuperet, cum Joannes Mariana, Societatis illorum tempo-rum scriptor, Opusculo De morte, & immorta-litate, quod ab ipso vere editum testestaris, dis-ferre pronunciet lib. 3. cap. 6. Video, quæ a Cas-siano dicta sunt, omnia, de gratia, & libero ar-bitrio, a viris eruditiss, quasi pietatis consona, neque deflecta a fidei regula sancta?

In disputatione decima quinta, quæ incidit in Congregationem vigesimam tertiam, ingentis ma-liguitatis inculor, tanquam Arrubali de industria tribuerim, quod Lemosii re ipsa fuit; ut Je-suitam, ceu stipitem, ac fungum, a Generali Prædicatorum exhibilatum exhiberem; dum vide-licet ab Arrubale responsum retuli, Doctorem Angelicum doctrinam, in libris Sententiarum in-itio traditam, de faciente, quod in se est, soli-sis naturæ viribus, in summa Theologica revo-casse: cui idcirco Prædicatorum Præpositus re-posuerit a Si S. Thomas illam sententiam mutavit; cur vultis sequi illam sententiam mutatam, ut ad quid illam adducitis? Actorum fidem appello; non Coronelli duntaxat, unde totam illam narratio-nem compendio delibavi, sed & Lemosii, ubi hæc ipsa leguntur, quæ me triumphum ex fabulis mi-nime cecinisse, plus satis ostendunt: „ Tunc Je-suitæ dixerunt, mutasse S. Thomam sententiam, in quantum dixerat in Sententia, illud facere, quod in se est, esse dispositionem ad gratiam. „ Quibus Pater Lemos: S. Thomas non muta-vit sententiam; sed magis illam, & distinctius „ explicavit prima secundæ. Generalis autem S.

„ Dominici dixit: Si S. Thomas mutavit sen-tentiam, quare vultis sequi sententiam muta-tam, vel quid illam pro vobis adducitis?

„ Pergis nostra cavillari: captaque occasione Di-sputationis vigesima, ad quam primum novi Mo-linae vindices, Arrubale febribus laborante, post quinque ferme mensium inducias accessere, ea re-fellere tentas, quæ lib. 3. cap. 6. de illius mor-bi origine, deque injecta tunc disputationibus mo-ra, innuavi: nimirum Arrubalem, viso Cle-mentis VIII. celebri Scripto, die 9. Julii 1603. publicato, quo præcipua Thomistica doctrina ca-pita innumeris S. Augustini testimoniis confir-mabat, præ doloris acerbitate in febrem incidisse; Sociofque indicis die 21. Julii disputationibus se negasse, infirmitatem causatos; quas idcirco ad mensum Novembrem differre, necesse fuit. Sic ego certe loco laudato. Verum quo tu nunc con-trario testimonio narrationem hæc nostram, ex Francisci Pegnae collectaneis excerptam, ejusdem-que, atque ipsius etiam Hispaniarum Oratoris Epistolis confirmatam, enervas? Nullo profus: sed inanibus dictis, nulla testium suffragatione com-munitis, nostra suggillas. Quid enim? Arruba-lem, jam a die 24. Junii, in gravem, ac diutur-num morbum incidisse, ais: ne si post diem 9. Julii, qua Clementis scripto vulgata est, in mor-bum dilapsus concedatur, enati ex dolore morbi suspicio sit. (1) Sed ais tu tantum; momenta quis id adstruas, nulla profers. Quin urges et-iam, ac figmentum inter omnia audacissimum committis: Scriptum illud, a Clemente VIII. die 9. Julii publicatum, cuius initium erat: Al-iste Spiritus S. gratia, non ab ipso, sed a Prædi-catoribus compositum esse; nec ob aliud Pontifi-cis chirographo munitione prodidisse, quam ut pro-futuram disputationum argumentum proponeretur; nihilque idcirco causa fuisse, cur tantum inde Je-suitæ dolorem caperent. Quis audaciam æquo a-nimo ferat? Usque enim adeo certum est, erudi-tam lucubrationem ab ipso Clemente VIII. fuisse editam, (non animo quidem controversiæ dirimen-dæ, sed private duntaxat sententiæ aperientiæ, ac publico etiam examini committendæ) ut hoc ipsum partis utriusque disputatores pro certo, & indubi-tato posuerint, dum de ea sub Paulo V. Pontifi-ce Maximo die 20. Septembris 1605. disputatum est. (2) Hinc illa Lemosii verba, post recentia eruditæ lucubrationis capita quindecim. Post-quam hæc omnia, & singula aperitissimis S. Augu-stini testimoniis comprobavit felicis recordationis Cle-mens VIII., ita manu propria dubium disputandum formavit, atque proposuit &c. Tum, multis inter-jectis, audacem Baïtæ censuram repellens, qua gratiæ efficaciam, ex Dei omnipotentia deriva-tam, suggillaverat: „ Cum ista sit, inquit, S. „ Augustini doctrina, & Summus Pontifex dicat, „ illam esse S. Augustini; (nempe cap. 5. celeberrimi Scripti) mirandum est valde, quod audeat „ Pater illam damnare. „ Et post pauca: „ Ab-sit, ut ex doctrina, non dico, S. Augustini, „ sed ex doctrina Pontificis Summi, tradita in „ isto cap. 5., & ordinata, contradicatur Conci-lio Tridentino. Absit, quod ex illa sequatur, „ hominem moveri, ut inanime quoddam. Sed „ unum, quod R. Pater jam fatetur, mihi suffi-cit: cit: quod videlicet physica prædeterminatione a- „ perte continetur in doctrina hujus Capituli, „ tradita, tanquam S. Augustini, per Pontificem „ Summum: „ Mox ad nonnu Scripti caput gressum faciens, nonnullaque Moliniani Actoris cavillationes retundens: „ Præterea, inquit, R. Pater ad caput 9. dicebat, non esse consequens, „ ut,

(1) Possinus sub Alexandro VII. harum Congregationum historiam scripsit. (2) In Actis Col. 259. (3) Il gran Capitano di Cristo.

(1) Eandem fabulam dividit, lib. 6. cap. 2. (2) Disp. 1. coram Paulo V.

ut, si gratia non est pedissequa, sit prævia, quia potest dari medium, ut videlicet sit simul comitans. Ad quod tamen est dicendum, Pontificem Summum comprehendisse mentem S. Augustini, & S. Properi: qui Sancti reputant evidens id, quod evidentissimum est; videlicet quod si gratia non est prævia, est pedissequa, & comes, subsequendo ad hominis voluntatem. Unde optime Summus Pontifex docet, quod, si gratia non est prævia, erit pedissequa. Postremo de capite tertio decimo differens: Igitur, inquit, est manifestum, esse sententiam S. Augustini, efficacem gratiam esse necessariam ad singulos actus, sicut ex S. Augustino Pontifex Summus proponit. Ita sane Lemosius, cui erudita lucubratoris Auctor ignotus esse non potuit: hanc ipsam Clementis esse, pro certo ponit, ac magnum inde domesticæ causæ præsidium accersit. Nec Pontificem distitit Auctorem Molinianum interlocutor, tamen scriptoris auctoritatem extenuaret, quod nihil Clemens scribendo definiisset, sed libera disputationi permisisset universa. Unde isdem in Actis post pauca subiungitur: Pater Baftida cepit dicere, hic esse questionem de factis, & de iure. De factis quidem, quia Pater R. putat, scriptum, de quo agitur, esse definitionem Pontificis; & vocavit Canonem quintum. Cui statim F. Thomæmas: Dixi Canonem, vel caput. Et profectus Baftida, dicebat, Summum Pontificem factum proposuisse, an illa sit doctrina S. Augustini? & sic licere sibi, servata Pontificis reverentia, impugnare, quæ non videbantur ex S. Augustino. Abi nunc, Eleutheri, ac, si potis es, non Clementem, sed Prædicatores celeberrimi Scripti auctores dicito. Id unum & te, & tuos in nostra Historia vellicanda fœderatos fœdales, monitos velim; ut fabulas concordæ saltem consilio faciatis. Namque tu, memoratam scripturam scholæ Molinianæ exitiosam esse, cum gesseris, hanc non a Clemente, sed a Prædicatoribus editam dicis: contra vero Disquisitionum in Historiam nostram nuperus Auctor, (1) Clementis eam esse cum videat, Molinianis placitis haud ita adversam ostendere nititur. Quæ de re diximus lib. 3. cap. 46.

Sed neque auspiciatus bartolaris, dum rusticam Clementis VIII. secessionem comminisceris, quæ Pontificem a die 23. Junii, quæ decima nona disputatio habita fuit, ad diem 10. Novembris, quæ demum vigesima haberi cepit, Tusculi detinuerit; quæque mensium ferme quinque inducias disputantibus dederit. Bellum profecto commentum! ne (quod ego multis ostendi) Molinianorum Actorum circulationibus detur tanta collationum protractatio. At non advertis imprudens, Clementem non ante mensem Octobrem rusticatum pergere potuisse; cum nec ipsa Romani cæli intemperies patiatur, ut quis, per ætios calores, rustici secessus amenitate utatur; nisi forte continuam commorationem ruri fecerit; quam ad quinque ferme menses Pontificem continuasse, minus verisimile est. Idque care distimulas, quod lippis tunc, ac tonforibus notum erat, Molinianos Oratores tot strophis, & artibus moram disputationibus per id temporis attulisse, ut, etiam finita Clementis rusticatione, indictione ad diem 10. Novembris congressu vigesimo, solidi mensis inducias de more poposcerint, nec, nisi iteratis mandatis adacti, ad disputandum accesserint. Quod Actis suis inseruit Thomas de Lemos, ad disputationem vigesimam, col. 555.

Quando Sanctissimus intimavit hanc Congregationem, Jesuitæ dixerunt, se præparatos non esse; & spationem unius mensis petierunt: sed Sanctissimus præcepit, ut infallibiliter irent ad disputationem.

In disputatione 30., quæ tertiam Congregationem supra quinquagesimam tenuit, familiari arte usus, calumniam intenas. Cum enim Clementis VIII. verba, quæ Baftidam, hæreticorum in Deum amorem obrudentem, excepit, cavillari suppudeat, si Pontificis esse concedatur, hæc ipsa, a me de industria conficta, audacissime calumniaris, tamen ex Congregationis Notarii tabulis sillabam excerpta, ac Italico etiam charactere, ne quem fortasse lateret, exscripta sint. Nugacem artem! Quid tamen cavillari liberit, videamus. Hæreticorum exemplum publica disputatione protrulit Molinianus Orator, qui, nullis licet ad actus supernaturales auxiliis adjuti, pro suis tamen erroribus morantur, plures huiusmodi actus eliciunt, offerendo mortem suam pro Christo, qui pro ipsis mortuus fuerat, & dulcia colloquia cum eo miscendo, plena affectibus amoris, dum ad patibulum ducuntur. Quæ Theologiæ barbarie offensus, ut retuli, Clemens VIII., dicentem per derisum interpellavit: *Vidisti-ne hos hæreticos, huiusmodi dulcia colloquia miscentes? En, iudicio quidem tuo, indignam erudito viro interpellationem, quam idcirco dolo malo Clementi affictam ab Historico credere, oporteat: quandoquidem, ut ex Æneæ Sylvii Historia Bohemica (2) recitas, Joannes Hus, & Hieronymus Pragense perterunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, multam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere ceperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma, & fragor ignis interciperi poterit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem perterisse traditur, quam isti incendium. Verum id perperam, & incausum obrudis: quique nos, tanquam ista nesciamus, in historiarum monumentis peregrinos & hospites dicis, toto cælo ab inflicita questione peregrinari, convinceris. Non enim Baftidam, quod qualemcumque hæreticorum in obunda morte constantiam extulisset, sua illa interpellatione exagavit Clemens VIII. sed quod constantiam, ex Dei amore profectam, prædicasset; quod dulcia colloquia cum Christo miscerent, plena affectibus amoris, dum ad patibulum ducuntur. Tu-ne vero talem Joannis Hufsi, & Hieronymi Pragense constantiam dicere, audeas; ac non potius ex hypocrisis, superbia, pertinacia profectam, de qua Poggii Florentinus, in tragedia, per Hieronymum dicit, & spectator, atque laudator, in Epistola ad Leonardum Aretinum, sapienter tandem monet: *Vidi hunc exitum, singulos actus inspexi. Sive perfidia, sive pertinacia id egerit, certe ex Philosophia sibola interitum viro descriptisses? Certe si Aretinus, accepta Poggii Epistola, rescripto significavit, minus sibi probari, quod Hieronymi constantiam extulisset; quamquam is modum tenens, non nisi Philosophicam vocitasset, ac etiam ex perfidia, & pertinacia profectam; quid ille de te, quid de Baftida dicitur erat, si non modo laudari constantiam, sed plenam affectibus in Deum prædicari, audisset? Leonardus Aretinus, ad Poggium rescribens, verba erant, lib. 4. Epist. Nudius tertius exemplum habuimus litterarum insuram, a Barbaro missum de Hieronymi supplicio. Quantum ad elegantiam, valde probo: in illi tamen plus trisquere videtur, quam ego vellem; est iudicium tuum saps purgas. Ego cautius hæc de rebus scribendum puto. Cui**

prudenti consilio morem gerere, fatius tibi erat, quam in celebranda Hieronymi, & Joannis Hufsi constantia, paginas implere.

Ad disputationem 34. feu, ut notare ipse soleo, Congregationem 61. vetus Molinianorum de Thomistis expolitatio recidit, ne Ferdinandus de Baftida cum larvis pugasse videatur; dum, prætermisso celeberrimæ de Scientia-Media controverfia capite, quo nimirum medio futura libera, conditionibus illigata, cognoscantur a Deo, biduum defudavit in certa eorundem, atque infallibili cognitione Deo asserenda, quam ultra illi Lemosius concedebat. Itaque, ne Molinianus Actoris labor supervacaneus videatur, veterum Thomistarum elencum adnectis, qui probabilem tantum, atque conjecturalem futurorum illorum notitiam Deo tribuunt: quin, quod lepidius est, Lemosium ipsam in scenam inducis, tanquam hoc idem superiori disputatione contendere; unde Baftidæ necessitas orta fit in ea consultanda sententia diutius immorandi.

Et nos quidem de præcis illis Thomistis, quo pacto in ream sententiam intelligi debeant, obiter diximus lib. 3. cap. 44., tritamque de illis Molinianorum expolitacionem elimus. Unam hic addere liceat Viri pereruditi observationem, solam illorum loquendi formulam rejicientis, sensum tamen probantis, & explicantis. (1). Non placet modus loquendi aliquorum Doctorum, qui cum re ipsa veram teneant sententiam in hac parte, non tamen verbis propriis loquuntur, dicentes, Deum scire illa futura conjecturaliter. Dixi, illos veram sententiam tenere; quia revera se ipsos explicant, & declarant, quod nimirum ipsi loquantur de conjecturali cognitione ex parte objecti, non ex parte intelligentis. Quod est dicere, aliqua futura ex se (hoc est, præciso Dei decreto, ac prout in natura causarum suarum dispositione continentur) fundare optimam conjecturam respectu intellectus capacis conjecturalis cognitionis, quæ imperfecta est. Et tunc nihil aliud intendunt, quam Deum de aliquibus futuris conditionatis certo scire, quod fundat conjecturalem cognitionem, non respectu sui intellectus, sed aliorum. Cæterum, quod Lemosium interest, quem conjecturalem duntaxat futurorum cognitionem superiori disputatione propugnasse, dictitas, unde hujus consultandæ sententiæ necessitas Actori Moliniano nata sit; fabula est, vel ab ipsis tuis Sodalibus confutata: qui licet in ea sententia præcis Thomistis asserenda liberales plus iusto fuerint, Romanos tamen Scholæ nostræ Disputatores oppositam viam iniisse, certamque, & infallibilem scientiam in solemnibus congressibus defendisse, contentantur. Quæ de re Joannis Martinez de Ripalda, & Pauli Leonardi discretissima testimonia dedimus libro 3. cap. 44. quibus adiungendus venit Didacus Alarcon disp. 4. de scientia Dei, cap. 4. Quia porro, quid Lemosius superiori disputatione de futurorum cognitione statuerit, disceptatur; eo nemo melius, nemo certius, quid rei fuerit, nobis edideret. Itaque sic ille in Actis, nuperimè publicatis, col. 876. Tandem ipse Baftida instabat, ut sibi responderetur, an Deus sciat futura conditionata? quia, ut aiebat, negabatur hoc a defensoribus gratia: & inducebat quemdam discipulum Sancti Thomæ, sic noviter asserentem. Referendo enim sententiam aliorum, dicebat: Quidam negant, Deum hæc futura cognoscere. Cui F. Thomas dixit: Deus cognoscit illa futura, distinguo: ante decretum, nego; post illud, concedo. Cum

autem ipse non valeret distinctionem impugnare, sed instaret, quod conveniret, an Deus cognoscat hæc futura; F. Thomas dixit: Pater, non potes prævalere contra distinctionem datam, in qua consistit tota difficultas, & determinatus ad unum dicit: conveniamus; & remittis te ad posteriores congregationes. Nihil hic de conjecturali futurorum notitia Lemosius ingerit, unde Baftidæ necessitas orta sit peregrinæ sententiæ consultandæ; sed eo redeunt universa, ut hæc a Deo in decreto cognosci, Lemosius dixerit, ante decretum minime. Quæ de re ubi primum, secuta proxime disputatione, ad dicendum ingressus est Molinianus Orator, ut certam Deo, & infallibilem futurorum illorum notitiam anvererit, durius ab universo consensu exceptus est, tamquam cum larvis de industria pugnet, & in sententiis, ab adversa parte admisis, operose stabiliendis, inutiliter defudaret. Quod ita in Commentariis suis (2) Lemosius retulit: Ita proponebat P. Baftida. In præcedenti Congregatione dixi, Deum cognoscere hæc futura conditionata; nunc ostendam, illa Deum certo cognoscere; & in congregatione alia dicam, an illa cognoscat ante, vel post decretum Divinæ voluntatis. Statim autem Sua Sanctitas dixit ei, quod hoc altera pars non negabat. Ipse autem Baftida dixit: quod interrogaverat Sanctitatem Suam, quod, si sibi daretur, quod Deus certo cognoscat illa futura conditionata, ulterius procederet ad disputandum, an ante, vel post decretum illa cognosceret; & quod Sua Sanctitas ei responderit, ut faceret, quod sibi bene videretur. Illico illi iurissimus, & Reverendissimus Cardinalis de Monopoli dicebat etiam Baftidæ, quod Sua Sanctitas supponebat, quod illa futura certo cognoscebantur; & inquirebatur tantum, an ante, vel post decretum cognoscerent certo; & quod oportebat ad hoc tertium venire, & tangere difficultatem. Sed ipse Baftida ad hoc irreverenter respondebat, se velle omnino suo modo disputare, an certo cognoscerent, supposito, quod Sua Sanctitas taliter ei responderat. Tertio Archiepiscopus Armachanus idem omnino dicebat: quod videlicet difficultas erat, an ante decretum, vel post, illa futura cognosceret ipse Deus. Et nihilominus perseverans P. Baftida in sua opinione, nullo modo acquiescebat; sed omnibus modis instabat, se velle prius disputare, an certo cognoscat, &c. Hanc scenam sub ipsam disputationis exordium dedit Ferdinandus de Baftida: cui in actione succedens Thomas de Lemos factis ipso demonstravit, quam cassam æmulus Actor operam posuisset. Ita quippe de proposita questione pronunciavit: Deus certo, & infallibiliter cognoscit omnia futura conditionata, quæ certo futura sunt, si tales adhibeantur conditiones. Vera est conclusio, & tanquam indubitata veritas a nullo unquam fuit negata: hæc probant, si quid probant, omnia in universum, quæ R. Pater modo proposuit. Videris tu nunc, Eleutheri, quo jure, quæve injuria, certam, & infallibilem futurorum notitiam ab Lemosio negatam, effutias.

Eccur ergo, inquis, in Actis Coronelli, ad quorum fidem Congregationum istarum Historiam adornavi, ita demum Lemosius pronunciasse, fertur: Dico, & milles reperio, ante decretum cognosci, non tamen certo, & infallibiliter; post decretum certo, & infallibiliter cognosci? Eccur vero, Vir ingenue, mediam responsi, a Lemosio dati, partem succidis, ne mens eruditi Theologi in aper-

(1) Panoplia Div. Gratia tom. 1. tract. 5. de Scientia-Media, cap. 26. (2) Col. 877.

(1) Questions importantes touchant la nouvelle Histoire des Congregations de Auxiliis, Quest. 1. chap. 12. (2) Cap. 26.

perito sit? Duo siquidem interroganti Baſtidæ reſpondit: primo quidem. *Dico, hæc cognofci a Deo in decreto ſue voluntatis: ante decretum, minime.* Tum urgente adverſario, ut ab omni decreto præſcinderet, addidit: *Dico, & milles reſpo, ante decretum, (hoc eſt, facta decreti præſcriptione, & attenta duntaxat nuda futurorum contingentium ratione, quatenus ſtant in nuda cauſarum defectibilium diſpoſitione) cognofci, non tamen certo, & infallibiliter: poſt decretum, certo, & infallibiliter cognofci.* Unde perperam infero, Lemofium incertam, atque infallibilem in Deo cognitionem poſuiſſe; cum potius nullam ante decretum futurorum cognitionem re ipſa dari, diſcretiſſime pronunciarit. Sed id unice voluit: præſcio decreto, ac futuris per ſe ſpectatis, ut in nuda cauſarum ſecundarum diſpoſitione continentur, certo & infallibiliter cognofci non poſſe. Quare, cum abſtractio a Divino decreto, juxta Lemofium, pure metaphyſica ſit, nullumque re ipſa detur inſtans, quo Deus nihil de futuris contingentibus determinafſe ſupponitur, aut quo nudam cauſarum defectibilium diſpoſitionem attendat, nullo ſue voluntatis ſpectato decreto; ita nullum datur inſtans, quo fallibilis, & conjecturalis cognitio reperitur in Deo; ſed omnis quæcumque cognitio datur, certa, & infallibilis eſt.

At ecce in oppoſitum urges: „ De cognitione, „ quæ eſt ante decretum, Lemofio fermo erat: „ quomodo ergo iſta certitudo, & infallibilitas ex „ parte Dei intelligi poteſt, ſi prima, & unica il- „ lius certitudinis, & infallibilitatis radix, etiam „ ex parte Dei, decretum eſt; quod nondum po- „ ſitum eſt, in hac quaſtione ſupponitur? „ Reſpondeo, de utraque futurorum cognitione fermo- „ nem fuiſſe Lemofio: altera quidem poſt decretum, „ quam unicam undequaque certam, & infallibilem „ dixit: altera ante decretum, quam incertam, at- „ que fallibilem nuncupavit, non ex parte quidem „ intelligentis, ſed ex parte rei intellectæ: quatenus „ Deus certo etiam, & infallibiliter novit, futura „ materialiter tantum ſpectata, ut in nuda cauſa- „ rum ſuarum diſpoſitione continentur, non eſt in- „ fallibiliter, ac certo futura: eamque duntaxat „ certitudinem habitura, dum, accedente decreto, „ ſer malem futurorum rationem obinebant.

In diſputatione 37., qua ſub Clemente VIII. poſtrema fuit, & Congregationem 67. tenuit, id tibi primo obtutu oculos uſiſt, quod a me adno- „ tatum eſt obiter: Baſtidam libros etiam, a Pela- „ giani Auctoribus editos, ſub Auguſtini nomine „ protuliſſe. Scilicet id ego ad invidiam effutierim! „ Atqui hæc ipſa Lemofii in Baſtidam animadver- „ ſio fuit, a me duntaxat pro Hiſtorici munere ob- „ ſervata: de qua hæc in Actis Lepoſianis ſuſius „ memorantur, quæ me, non a me ipſo, ut loque- „ ris, ſed ex Actorum fide locutum, oſtendunt. In- „ ſuper tertium S. Auguſtini locum induxit ex Libro „ de Eccleſiaſtiſtis Dogmatibus, cap. 20. in quo con- „ ſtituit tantum ex parte gratiæ prevententiæ gratiam „ excitantem, & adjuvantem. Ad quod reſpondeo, „ Librum iſtum de Eccleſiaſtiſtis Dogmatibus S. Au- „ guſtini non eſſe, nec alicujus generis Auctoris, ſed „ eſſe Gennadii Maſſilienſis, Semipelagiani. Et ſub „ nomine Gennadii reſertur a Magiſtro Sententiarum „ lib. 2. diſt. 8., & a S. Thoma quodlibeto 12. art. „ 12., & in Caſana ad cap. 1. Matthæi in expoſitio- „ ne illius. De qua natus eſt Jeſus. Ita Lemofius „ in Actis col. 982. Vera autem, an falſa di- „ xerit, nihil hic attinet diſputare, modo dixiſſe, „ certo conſtat; quippe cum non dictorum ejus „ omnium, ſed narrationis duntaxat meæ deſenſio- „ nem adornem. Dicam tamen, illum rem ipſam

acu terigiſſe, Librumque de Eccleſiaſtiſtis Dogmati- „ bus, a Moliniano diſputatore ſub divi Auguſtini „ nomine venditatum, aqua cenſura, quidquid in „ contrarium muſſites, perſtrinxiſſe. Sane celeberrima „ Eccleſia Lugdunenſis eadem illum cenſura inſu- „ ſit, ante annos circiter oſtingentos, & quinquaginta. Cum enim hanc Joannis Erigenæ ſententiam „ retuliſſet libro, adverſus eundem adornato, „ Homo ſine laboris ſtudio ad Deum pervenire non po- „ teſt; ita in illam animadvertit: Hoc ergo ſentire, „ ſine laboris ſtudio, hominem ad Deum pervenire non „ poſſe, non eſt Catholicum, ſed Pelagianum. Inveni- „ tur in libello, cui titulus eſt, Dogmatum Eccleſia- „ ſticorum, quedam talis definitio; ſed omnino, ut „ diximus, ut & alia nonnulla in eodem libello, Pe- „ lagiani erroris eſt. Non abſimiliter florentiſſima „ Lovaniënſium Schola, in Judicio cenſorio de li- „ bris, S. Auguſtino perperam aſſiſtis, & in Ap- „ pendicem Tomi tertii rejeclis: Liber hic non eſt „ Catholicus ſcriptoris, ſed Gennadii Maſſilienſis in Gal- „ lia Preſbyteri. . . . Porro, ut ſepius in Catalogo „ Virorum illuſtrium graves habet errores, & ſic in „ his dogmatibus Eccleſiaſtiſtis quædam habet, a lecto- „ re cavenda, prout ad marginem ſuis locis eſt nota- „ tum. Quia & Pontianus, Editionis Duaceniſis „ Operum D. Proſperi curatur, & emendatur, præ- „ miſſa ad lectorem Epitola, non modo Gennadii „ libellum de Eccleſiaſtiſtis Dogmatibus, ut nullius „ auctoritatis exuſſat; verum etiam illo ipſo re- „ citato fragmento, (1) quod in cauſæ ſue præſi- „ dium venditaverat Moliniani Orator, notam illi „ Pelagiani erroris aſſiſtis. „ Poſtquam homo (Gen- „ nadii verba ſunt, a Pontiano recitata) ſeductione „ ſerpentis per Evam cecidit, natura bonum perdidit „ pariter, & vigorem arbitrii, non tamen electio- „ nem: ne non eſſet ſuum, quod evitaret, nec meri- „ to indulgeretur, quod non arbitrio diluſiſſet. Ma- „ net itaque ad quærendum faltem arbitrii libertas, „ id eſt, rationalis voluntas; SED, ADMONENTE PRIUS „ DEO, ET INVITANTE AD SALUTEM, ut vel eligat, „ vel ſequatur, vel agat occasione ſalutis, „ hoc eſt, inſpiratione Dei. Ut autem conſequatur, „ quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod „ occasione agit, Dei eſſe, libere conſentemur. „ Initium ergo ſalutis noſtræ, Deo miſerante „ habemus: ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi „ noſtræ poteſtatis eſt: ut adipiſcamur, quod „ acquieſcendo admonitioni, cupimus, Divi- „ ni eſt muneris: ut non labamur in adepto fa- „ lutis munere, ſollicitudinis noſtræ eſt, cœleſtis „ pariter adiutorii: ut labamur poteſtatis noſtræ „ eſt, & ignavia. „ Cui quidem Gennadii ſen- „ tentiæ hocce nigrum theta præſigat Pontianus: „ Ecce ait, in homine poſt lapſum manſiſſe electio- „ nem, ſive rationalem voluntatem, ad quærendum ſa- „ lutem; ſed admonente prius Deo, & ad eam invi- „ tante, ut liberum arbitrium vel eligat, vel ſequatur, „ vel agat occasione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione „ Dei: QUOD PELAGIANE HERESIOS ESSE CONSTAT. „ Ideoque Joannis Heſſelii, Theologi Lovaniënſis „ de eo Gennadii libello iudicium eſt, monet. Nec „ injuria: cum non aliam, niſi admoventem, & in- „ vitantem gratiam ad ſalutem agnoſcat Semipela- „ gianus Dogmaticeſ; eamque ex humana arbitrii „ conſenſione pendulam.

Incaſſum ergo quiſquillas undecumque advocas, „ Eleutheri, ut hanc Lemofii de Gennadii libello „ cenſuram, quam & meam eſſe, finixiſti, incon- „ ſultam, & intemperantem oſtendas; modo qui- „ dem librum hunc, ſub Auguſtini nomine, a Ma- „ giſtro Sententiarum, & D. Bonaventura laudatum „ obſervans; modo tributum a nonnullis Alcuino „ ab aliis Patro, ab aliquibus Iſidoro; nunc Gen- „ nadii,

nadii, cui communiter adjudicatur, vindicias ador- „ nans, quem nequaquam conſtare, ais, factionem „ Semipelagianorum fuiſſe ſectatum; nunc demum li- „ bellum hunc, quiſquis illius fuerit auctor, ab omni „ hæreſeos ſuſpicionem liberum obtendens; quippe qui „ conſtat ſit ex ſententiis Concilii Arauſicani, & „ Summorum Pontificum, Innocentii, Zozimi, Celeſti- „ ni, & maxima ex parte ex operibus S. Auguſtini. „ Getra proſecto, getra, eæque omnium vaniſſimæ. „ In primis enim non eſſe librum hunc Auguſtini, „ ſummo nunc eruditorum aſſenſu probatum eſt: „ quibus ob id unum repugnare velle, quod a non- „ nullis de ſchola Theologiis, haud ſatis Criticem „ aſſectantibus, Auguſtini nomine laudatus invenia- „ tur, imprudentis conſilii eſt. Quanquam nec eo „ Theologorum numero cenſendus venit, ut putas, „ Sententiarum Magiſter; qui potius lib. 2. diſt. 8. „ Romanæ, ac Lovaniënſis Editionis, Gennadio „ librum attribuit: Gennadius in definitionibus Ec- „ cleſiaſtiſticorum Dogmatum ait &c. cæteris vero lo- „ cis, abs te in contrarium productis, ut lib. 2. „ diſt. 35. §. Quocirca, & lib. 3. diſt. 1. §. Diligen- „ ter, nullum memorati libelli prodit auctorem; et- „ ſi alia fortaliſſe editiones Auguſtini nomen adſcri- „ ptum habeant: quod ad quorundam auctores, & „ præpoſteras caſtigations referendum, monent Theo- „ logi Lovaniënſes. Jam quem concors Eruditorum „ aſſenſus Auguſtino librum adjudicat, hunc Gen- „ nadio Preſbytero Maſſilienſi, ſi minus unanimis, „ at certe communis ſententia tribuit: Walafridus „ Strabo, Algerus, Hadrianus I., D. Thomas, Pla- „ tina, Baronius, Bellarminus, Vaſqueſius, Poſſe- „ vinus, Noriſus, Alexander &c. Quibus omnibus, „ aliique numero pluribus, facile recenſendis, unum „ alterumque ſcriptorem antepone velle, qui, re- „ pugnantem omnium pene MSS. Codicum fide; ipſa- „ que ſtili diſſonantia reclamante, librum hunc aut „ Alcuino, aut Patro, aut Iſidoro, per oſcitantia „ tribuerunt, hominis eſt, ſtudio partium, „ ut micus loquar, nimis abrepti. Quod autem „ Gennadii, cui communiter adſcribitur, vindicias „ tandem adornes, incurtum eſſe, dicas, an fa- „ ctionem Semipelagianorum ſectatus ſit; virum pro- „ dit, in ejuſdem lectione peregrinum. Libro quip- „ pe de Viris illuſtribus, S. Auguſtini, ejuſque „ diſcipulum, ac deſenſorem egregium, D. Proſpe- „ rum, velut reos erroris inſectatur; Caſſianum ve- „ ro, & Fauſtum, Semipelagianæ factionis duces, „ commendat; eorumque doctrinam, a Proſpero „ impugnatam, uti ſalutarem, & ab Eccleſia pro- „ batam, laudibus eſſet. In qua proſecto Gen- „ nadii loca intendens Bellarminus lib. De Scriptori- „ bus Eccleſiaſtiſtis. *Scriptiſt, inquit, librum de Vi- „ ris illuſtribus, in quo ſuſpicionem non parvam reli- „ quit ſue non rectæ fidei: laudavit enim Caſſianum, „ & Fauſtum, qui Semipelagianii fuerunt; & S. „ Proſperum depreſſit, qui pro gratia Dei contra Pe- „ lagium fortiffime dimicavit.* Et Gabriel Vaſqueſius „ tom. 1. in 1. partem D. Thomæ, diſput. 91. „ cap. 11. *Gennadius apud Catholicos, & doctor, non „ bene audit. ſiquidem de Auguſtino etiam dicit, eum „ multa ſcripſiſſe, & ideo in multis erraſſe.* Quos „ quidem domeſtica ſchola Magiſtros (externos „ quippe tacitus mitro) audire tibi fatius erat, „ quam vel Suarium, vel Annatum, Gennadii pal- „ patores, ac deſenſores; qui quem egregie apud „ Cardinalem Noriſium (1) idcirco vapulent, ani- „ madvertere debuiſſi. Neque enim obrudere ju- „ vat, Gennadium ab Hadriano I. Pontifice, ſan- „ ctitatis titulo, commendari, ejuſdemque auctorita- „ tem, ad ſacrarum reliquiarum cultum adſtruen- „ dum, produci Epit. 3. ad Carolum Magnum, „ Serry Tom. II.

Francorum Regem. Pari ſiquidem ſanctitatis ti- „ tulo, ac meliori fortaliſſe jure celebrantur Caſſia- „ nus, & Fauſtus; atque ad varia fidei capita mu- „ nienda producuntur in ſcholis; quos tamen, circa „ Divinæ Gratia quaſtiones, non ideo erroris ab- „ ſolventes: quod alia tunc morum, alia doctrinæ ra- „ tio eſſet; dum celebris illa de initio ſalutis, & fi- „ dei controverſia, ſupremo Felicio IV. & Bonifa- „ cii II. iudicio eliquata non erat.

Cæterum, quæ jaclat Gennadii libro inſerta, „ Decreta Conciliorum, atque Pontificum, adeo non „ illum Semipelagiani erroris abſolvunt, ut potius „ revincant multo magis, ſi, quid rei ſe, perpen- „ datur. Sunt hæc enim vere non ab ipſo Gen- „ nadio, quem Arauſicanam Synodum anteceſſiſſe, li- „ quet, inſerta documenta, ſed recentioris Corre- „ ctoris additamenta: qui cum Gennadium priori- „ bus libelli capitibus Semipelagianum obruſiſſe, „ cerneret, antidotum lectori ſubjecit; interjeclis a „ capite 21. ad 52. contrariis Romanorum Pontifi- „ cum, Conciliorumque ſententiis. Quæ res virum, „ qualem te jaclat, critica ſcientia peritum, latere „ non debuit. Hinc illa Cenſorum Lovaniënſium „ appicta nota ad cap. 21. *Quæ deinceps ſequuntur „ uſque ad cap. 52. non ſunt Gennadii, ſed ad eru- „ ditio quodam, & recentiore ſcriptore hoc loco in- „ terjeclæ ſunt, propter errores aliquos præcedentium „ capitum. Unde factum eſt, ut hæc ipſa in manuſcri- „ ptis codicibus non inveniantur.* Cui Lovaniënſium „ Cenſuræ ſubſcribit Cardinalis Baronius in Anna- „ libus ad annum 490. *Quæ cap. 21. ejuſdem com- „ mentarii uſque ad quinquageſimum ſecundum inter- „ jacent, non eſſe Gennadii, ſed Gennadii Correctoris, „ optime obſervavit doctiſſima Schola Lovaniënſis. Et „ Cardinalis Henricus de Noris lib. 2. Hiſtorie Pe- „ lagianæ, cap. 16. Laudato Libro de Eccleſiaſtiſtis „ Dogmatibus inſerta ſunt plura capita, ex Cœleſti- „ ni, ut putant, Epitola ad Episcopos Gallie, & „ quod caput eſt, magna, immo maxima pars Concilii „ Arauſicani, itemque Carthaginenſis, a cap. 22. „ (2) incluſive uſque ad quinquageſimum primum. „ Quin & Natalis Alexander in Synopſi Hiſtorie „ ſæculi V. cap. 4. art. 36. Hinc libro inſerta ſunt „ plura, in quibus maximam Concilii Arauſicani, & „ Carthaginenſis partem legere eſt, a cap. 22. incluſive „ uſque ad 51. Unde etiam facile colligas, pu- „ rum, purumque commentum eſſe, quod a non- „ nullis obtenditur, librum hunc a Gennadio reſi- „ piſcente fuiſſe editum, & ad Geſafium Pontifi- „ cem miſſum. Quanquam enim libro De Viris Il- „ luſtribus, opus de fide ſua, ad B. Geſafium Ur- „ bis Romæ Episcopum, a ſe ſubmiſſum, moneat „ Gennadius; minus tamen liquet, illud ipſum eſ- „ ſe, quod De Dogmatibus Eccleſiaſtiſtis dictum eſt. „ Ac, ſi illud ipſum eſſe, concedatur, non illico „ colligendum, fide purum, & integrum eſſe; cum „ & ſpuria fidei formula Romanis Pontificibus ob- „ tradi poſſint. Nec itam quæ a Gennadio miſſa „ dicitur, corrigi, & emendari opus fuiſſet, ſi in- „ tegræ fidei viſa eſſet. At de his nimis fortaliſſe „ multa, ut cuique perſpicuum fiat, quam temere „ Lemofii de Gennadii libello cenſuram cavilla- „ tus ſis, virumque Semipelagianum erroris ab- „ ſolveris.*

Haud meliori jure arrodis, quod ejuſdem po- „ ſtremæ diſputationis occasione, obſervatum a no- „ bis eſt: Lemofium, audita Moliniani Actoris ora- „ tione, totum pene fuiſſe in detegendis Societatis ar- „ tibus, quibus Pelagianorum more, tanto verborum „ ſuco periculosa dogmata obregebant, ut quod de his „ monuit Auguſtini, illis accomodari merito po- „ ſſet: „ (3) Quiſquis hæc audit, & ſenſum eo- „ rum „ rum

(1) Locus a Baſtidæ ad Molinæ deſenſionem laudatus, in diſp. 37.

(1) In Appendice ad diſſertationem de V. Synodo c. 4. (2) Sed & caput 21. inſtar prolixi ad eos „ canones additum eſt. (3) Lib. De Gratia Chriſti, cap. 2.

rum ignorat, quem in eorum libris, atque foris, patris fati manifeste ostendunt, hoc putat eos dicere, quod veritas habet: quisquis autem &c. Nihil hic in decreta Pontificum, ut exprobras, peccatum a nobis, nihil per calumniam affictum. Aliud quippe est, certa sententia, certoque iudicio; Molinianæ scholæ dogmata, ab Ecclesiæ etiam tolerata, Pelagianis erroribus accensere: quod veterum Theologis, fati novimus: aliud, nuda, ac simplici narratione percensere, quo pacto Lemosius hæc ipsa Molinæ dogmata, quo tempore illi illa penderet, uti periculosa, ac Sempipelagiania, infectatus sit: quod unum pro Historici munere fecimus. Nam tu vero lepidus Censor, qui nos, uti Pontifici interditi violatores, traducis, quod Lemosium Moliniana dogmata, ceu Pelagiania, suggillatim, narraverimus; cum tu interim, Bastidam tuam scholæ Thomisticæ dogma potissimum oppugnasse, narres, tanquam Calviniani erroris basim, ac fundamentum: quasi non una, eademque fuisset utrique parti imposita lex. Sed & illud multo lepidius, quod ex hac nostra narratione adversus scholam Thomisticam eruis argumentum: „Fateris, inquis, quisquis hæc audit, quæ de gratia efficaci Bastida protulit, putare posse, hoc eum dicere, quod veritas habet: atqui tamen efficaciam gratiæ, quæ in physica prædeterminatione consistit, apertissime, vehementissimeque impugnavit, ceu basim, & fundamentum Calviniani erroris: ergo, fatente te, quisquis hæc audit, putare potest, hoc Bastidam dixisse, quod veritas habet.“ Equo vero loco id aut ego, aut Lemosius universim falsi sumus, Bastidam de gratia efficaci, adversus physicas prædeterminationes disputantem, vera dicere visum esse? Immo id de pigmentis, ac fucis adnotatum est unice, quæ gratiæ Molinianæ systema in speciem obducebat, ut gratiam veri nominis efficacem a Molinianis admitti, persuaderet. Ita quippe Lemosius in Actis, novissime publicatis, col. 964. „Qui apud, RR. Patres hæc modo proferre, quæ in conspectu Sanctitatis Vestre modo proposita sunt, quod videlicet Deus gratia sua faciat, ut faciamus, & quod bonus usus est ex gratia, & quedam alia similia, quæ modo dixerunt; qui, inquam, hæc audit, & sensum eorum ignorat, quem in suis libris, & scriptis fati clare ostendit, hoc eos putat dicere, quod veritas habet. Quisquis autem, quod in suis libris apertius dicunt, diligenter advertit, non solum debet habere ista verba suspecta; sed manifeste deprehendit, hoc solum verbis proferri, totum autem contrarium sensu, & sententia firmari. Hoc enim sic dicunt, sic intelligunt, immo sic expressis, & formalibus verbis affirmant, quod videlicet Deus facit, ut faciamus, donis suæ gratiæ, non vere, sed metaphoricè; non proprie efficiendo, atque causando, sed moraliter tantum invitando, & suadendo, ad modum legis, atque doctrinæ. Dicunt, quod gratia est efficax, ab effectu, & ab arbitrii cooperatione. Affirmant, bonum usum esse ex gratia; non quod intelligant, talem bonum usum fieri ex vi, & efficacia ipsius gratiæ; hoc enim, & modo negant, semperque negarunt; sed intendunt, bonum usum Auxiliorum gratiæ fieri ex gratia, quia non fit sine gratia illa excitante, & quia illam supponit, vel fit cum illa. En qua occasione, quo sensu Molinianos vera dicere visos, asserit Thomas de Lemos, non spectata vi probationum, ac momentorum, quæ asserta sua muniebant; sed attentato verborum furo, quo incautus illudere nitebatur, tametsi re ipsa a vero quam longissime abiret. Quid inde porro ad

Scholæ tuæ decus extundas, haud satis capio, nisi forte, illudendi artem in gloriæ parte positam, velis.

Reliqua minus moror in Lemosium congesta tonvicia, tanquam quartæ Janseianæ Propositioni prælusisset; quia gratias excitantes a Sempipelagianis admittas dixit, postrema illa, coram Clemente VIII. habita, Disputatione. Frivolum enim, ineptamque criminationem, necnon petitam ex Natali Alexandro probationem, qua me pressum, viciumque existimas, fat bene retudi sect. 4. cap. ult. & sect. 6. cap. 3. ut te persfricte frontis conviciatorem omnes intelligant; qui eos iniquitatis filios dicere audeas, qui hæc Lemosii assertionem, lata in Janseiano Censura nequaquam inusitam, exultant. Quasi vero Maccinum, Gonetum, Baronium, Contentonium, Piccinardum, Maffoulium, Carmelitas, Salmanticensis, quos ita sensisse demonstravi, iniquitatis filios dicat aliquis, nisi forte pudorem exuerit. Unum duntaxat dictis adiciam: Clementem VIII. cum Lemosio calumniam peti posse: quippe qui Molinianum disputatori, excitantem gratiam altius effertenti, non semel objecisse fertur, hæc ipsam a Sempipelagianis fuisse admittam: *Quæstio gratia excitante hæc postea Cassiano. In Actis Lemosii, col. 956.*

CAPUT V.

Eleutherius putatus Historici calumnias temere quaeritur. Clementem sub viâ finem in Molinæ doctrinam inclinatum, variolatur. Probrosas Sociorum de Pontifice optimo expostulationes nequaquam excusat.

Non longo intervallo Disputationem 37. incepit Clementis obitus, die 3. Martii 1605. Huic ego superiori anno expectatam a Sociis, scripsi lib. 3. cap. 7. ob perulgatam eujuspiam Astrologi de Clementi VIII. fortuna vaticinationem; quæ futurum illum Cardinalem, tum Romanum Pontificem, annisque duodecim regnaturum, prænuñciaverat. Inequare enim anno 1604. Pontificatus duodecimum explebat. Simile quidpiam de Pauli V. obitu observavi lib. 4. cap. 7. infedisse nonnullis opinionem, Socios novas disputationum inducias postulasse, mense Septembri anni 1605. quod Solis eclipsim, sequenti mense futuram, sinistram quidpiam in Pauli vitam prætere, suspicarentur; unde controversiæ iudicium effugere possent, modo de industria tempus decerent. Proh quæ convicia, quæ probra binæ illæ observationes e calamo tuo excitaverant! Verum quantum tu conviciorum largus, ac prodigus, tantum rationum inops, ubi putatam calumniam refellere aggredieris. Exaggerata enim fidei scientiæ vanitate, quam impiam, & facilem vocas, fati refellenda criminationis esse, putas, si multa in me convicia iacias, fidemque omnem superare, dicas, ut Socii, quorum spectata pietas erat, fallacibus siderum signis, atque heriorum vaticiniis animum adjuceant. Egregie tu quidem, & expedite! At quid tandem, si dicit talem locupletissimum dederim, Franciscum Pegnam, in Diario, ad mensem Septembrem anni 1605. ita scribentem: *Patres Jesuitæ, ad solita suffugia consurgentes, dilationes quaerebant, & demique inducias unius hebdomadæ, intercedente D. Cardinali Pinello, obtinuerunt. Interim motum Sanctissimo incurrere multis modis nitebantur. Ceterum Paulus V. constantia vero Pontificia omnes tentationes superavit. Non desuere, qui dicerent, bonos Patres dilationem anxie quæsisse, quia sperabant eclipsim Solis, die 12. Octobris 1605. futuram, aliquid novi,*

novi, vel impedimenti, vel periculi in vitam Pontificis portendere. Sed non successit ex sententia, quoniam eo ipso die Sanctissimus coram se Congregationem haberi voluit. Ideoque multi prudentes dixerunt, Jesuitas eclipsim passos esse.

Neque vero præter fidem est, Socios, tametsi aliunde religiosos, ac pios, in illis rerum suarum angustiis, humani aliquid passos esse; auditique Astrologorum auguriis, quæ proximum Pauli obitum portendebant, (ut est quandoque plus iusto sagax hominum genus) sua quoque, ex ratione temporis, atque rerum, consilia cepisse: cum ipsi Pauli V. germani Fratres, iisdem terribiliter excitati, artis hujus arcana, nimia curiositate, investigasse referantur. De quibus Andreas Maurocenus, lib. 16. Historiæ Venetæ, & Joannes Palatius de Gestis Romanorum Pontificum, hæc habent: *Pontifex vel rei novitate, vel inopinato spectata viâ amplitudinis eventum, stupore veluti defixus, vastusque cernebatur; multaque illi molesta visibus observari, rumor erat. . . . Hæc Astrologorum vocibus, terribiliter mensis quoque aucta, ante Septembris exitum viâ excesserunt. Quibus pernoti ejus Fratres (quorum major natus Franciscus, minor Joannes Baptista erant) tres, ad viginti ejus professionis homines intra suas ades cogunt, qui nascentis Pontificis, calique stum serventur, quidque vaticinantur de ejus vita, expriment. Si vel ex inanis avis arcana, vel assentationis gratia, in decimum, atque octavum annum vitam protrahunt, providere. Idem in altera celebriori de Clementis VIII. fortuna vaticinatione videre fuit. Ea excitatos & Gallos, & Italos, dicitur ex Petro Matthæo, qui hoc ipso anno 1604. Historiam adornabat. Quid itaque fidem superet, potuisse quoque Socios in eis esse, qui, cum partem vaticinii maximam, quovis tandem instinctu, implendam, diu cererent, reliquam demum implendam, opinabantur; quo maxime tempore ingruens morborum cohors salutem Pontificis dubiam faceret? Clementi, primos pubertatis annos agenti, inquit Petrus Matthæus, lib. 7. narrat. 4. Astrologus quidam prænuñciaverat, futurum illum Cardinalem, tum Suanum Pontificem, annisque duodecim Petri Sedem occupaturum. . . . Hic futuros Pontificis eventus perbene vaticinatus est, tametsi in definiendis Pontificatus annis falsus sit. Veror tamen maxime, ne unius duntaxat anni error obrepserit. Qui enim proxima sequitur, insausis huic Sanctæ Sedis signis abundat. Atque ita sentiunt, qui in Abbatis Joachimi libello studium ponunt: *Quique in Italia peregrinantur, Apostolos obmurmurantes invidiunt, quia Discipulus ille non moritur. Igitur, in hæc hæc Domini Gregis specula vigilat exarcent, Clemens VIII. decimum tertium Pontificatus annum, repugnantibus licet Astrologorum auguriis, auspiciatus est. Num tamen integrum emensurus esset, dubitatum est, ob præviam valetudinis affectionem, quam ex podagra contraxerat.**

Sed, fatidicis Astrologorum auguriis valere justis, majus erit operæ pretium breviter observare, quæ tu demum somnia vendites, ut Clementem, morti proximum, in Molinæ partes inclinasse, nobis ostendas. Somnia dico, non modo ab aliis fomtata, sed & a nobis in antecessum confutata. Petium scilicet argumentum ex Molinianæ Concordiæ Exemplari, quod Clemens in usum habuerat, quodque hodieum in Romano Societatis tabulario servari dicitur: cuius nos argutia, a nupero Questionum Traductore vehementius exaggerata, futilitatem tam invidiis momentis ostendimus, Tom. 1. Gallicæ Defensionis, cap. 17. & lib. 3. Historiæ, cap. 46. ut nihil in op-

positum mutire potueris, nostraque omnia tacitus præterire compulsius sis. Tum etiam decantatum toties Cardinalis Peronii dictum, quo perculsum Clementem comminisceris, & in Molinianum illico transformatum: quam naniam lib. 3. cap. 45. & 46. cumulatissime confutavimus, ac nunc quoque sequenti capite plenius refellemus. Illud in antecessum notare juvat, eo te Peronii dicto, seu vere, seu temere iactato, oscitanter abuti, ut Clementem eo perclusum, & in Molinæ partes inclinatum, effugas: cum id non Clementi VIII. sed Paulo V. infinuatum referant, qui primi Pontificem, cui talia Peronius fati sit, nominarunt: Auctore Gallie purpurato in Cardinalis Perronii vita, & Philippus Brietius, Soc. Jesu, in Annalibus ad annum 1606. Paulus V. Controversiam de Auxiliis hoc anno quiescere voluit, cum Cardinalis Peronius, Vir omni exceptione major, eum admonisset, Dominicanorum sententiam Heterodoxis magis placere, & ab eorum erroribus minus alienam ostendisset, quam opinionem Jesuitarum. Ut ileam, invidiis aliunde momentis certo liquere, Clementem VIII. nullis, seu Peronii, seu Bovii susurris, ac terribiliter excitatam, præliæ sententiæ hæc firmiter, & a Molinæ placitis ad extremum vitæ cardinem abhoruisse. Quandoquidem ipso etiam postremo congressu, tertia non amplius ante lethalem morbum hebdomada celebrato, Molinianum Oratorem, perinde ac antea deficiuit; gratiamque excitantem, a Sociis poni solitam, uti Sempipelagianæ sectæ commentum, suggillavit. (1) Quia id illi statutum erat, ac fixum, si longiores in luce moras fata dedissent, Diplomatum Pontificum adversus Molinianos errores promulgare in pervigilio Pentecostes, proxime fut uræ. Quod secum amice communicatum arcanum, non semel testatur est Cardinalis Anselmus de Monopoli, postquam Clemens excessit ad Superos.

Hinc orta amara illæ Societatis scriptorum de Clemente VIII. expostulationes: Hanc malo in Societatem animo fuisse: ab Hispanis in Prædicatorem gratiam circumventum: minus pro dignitate argumenti peritum: Molinianæ doctrinæ, ac præsertim Scientiæ-Mediæ Mysteriorum non satis edoctum: quibus Joannem Martinez de Ripalda, Franciscum Ananum, Paulum Leonardum, aliosque nonnullos abundante, dixi lib. 3. cap. 45.

Miror, velle te lavare Ethiope illos, summaque fiducia contendere, nihil illos ejusmodi de optimo Pontifice expostulasse. Quid ergo tibi voluit Ripalda verba lib. 5. de Auxiliis, disp. 113. sect. 13. n. 130. Plura, quæ nos merito imploramus, favoreque impetrari poterant, constat, fuisse negata. Primo, ut coram Cardinali Mardutio obligarentur Patres Prædicatores Romani manifestare, an sua cognoscerent asserta Hispanorum sui Ordinis. Secundo, ut disputationes coram Pontifice primum inciperent de controversia generali utriusque Religionis. Tertio, ut alii Censores, nobis non suspecti de causa nostra judicarent. Quarto, ut asserta singularia Bannes de argumento charitatis, & alia, quæ a nostris delata fuerant, & a gravibus etiam sui Ordinis Theologis severissime notata, sicut asserta singularia Molinæ, examinarentur. Denique, ut Cardinalis Bellarminus, qui nobis favebat tempore controversiæ, sicut Cardinalis Aculanus Dominicanus, Romæ adesset; nec mitteretur in suam Diocesim, sicut initio disputationum missus est. „Quamquam enim hæc, eo duntaxat sine dicta, fingantur, ne nimia Pontificis gratia illi putentur Socii; acrem tamen ex-

postulationem præ se ferunt; Pontificemque re ipsa fugillant, tanquam malo in Societatem animo fuerit, cui ea negarit, que summo jure concedi debebant; ne videlicet suspecti Censores de controversia judicarent; neve Bellarminus Romæ honoris specie pelleretur, ubi suis præsidio erat: Judicemque notant, cæco in quorum scilicet suspecta dogmata, ad tribunal delata, questionem intrui, nollet.

Quid sibi vult etiam ea Annati in Clementem animadversio disp. 4. de Scientia-Media, cap. 1. fuisse illum fortasse in Molinam male affectum, quod ejus sententiam de Scientia-Media non probe nosset? Quam ille querelam audacissimam, Petri Fulienensis, viri perinde Moliniani, suffragio munit, qui, ut Clementem, ex ignorantia male in Molinam animatum, ostendat, eam ex Jacobi Bossutii schedis narrat historiam, ex qua verius evincitur, Pontificem Moliniani systematis fibras omnes internovisse. Nempe, (ne & id, oblata occasione, prætermittam) narrat Fulienis, Molinista, in suavi Concordia, disp. 4. sect. 4. Antonium Boyium, Scientia-Media defensorum, e Consultoribus unum, a Clemente interrogatum, *Quid per Scientiam-Mediam Deus præsciret?* respondisse, *Præscire Deum bonum usum liberi arbitrii:* ac tum subjecisse Pontificem, iterum interrogando; *Aus quem gratia, aut quem natura factura erat?* Respondentemque hoc dilemmate in antecessum occupasse. *Si primum, est contra Molinam; si secundum, est secundum Cassianum.* Unde colligit Pontificis accefator, necesse illum Molinæ systema, juxta quod Deus bonum usum liberi arbitrii præscire dicitur, ex hypothese gratiæ elevantis, & adjuvantis futurum. At contra potius, hæc ipsa Pontificis eum Bovio Consultore disceptatio demonstrat, Clementem in D. Augustini doctrina versatissimum, mentem Molinæ, sancto Doctore contrariam, percalluisse. Augustino enim Semipelagianum est, & erroneum, quiddam a Deo vel absolute, vel ex conditione præcisci, fingitur, ex usu liberi arbitrii, atque ab ipsa voluntate derivatum, ut a prima radice, gratiam suspensam, atque versatiliem determinante, quod sit ratio vocacionis, & prædestinationis. Atque ad illud tandem caput revocatum, sciebat doctissimum Pontifex, extremum Pelagianæ sectæ virus; neque ab eo alienum esse Molinam dum bonum illum sub gratia versatili liberi arbitrii usum excludit ab affectibus prædestinationis; ob id certe, quod a creata libertate, determinante gratiam, non a gratia, voluntatem determinante fobolescat: Quare eo vim argumenti merito deducebat. Interim tamen, quocumque res cadat, eo exemplo perspectum est, haud ita temere observatum a nobis fuisse, Molinianos, atque in his Franciscum Annatum, Petri Fulienis exscriptorem, de Clemente VIII. expostulasse, uti minus pro dignitate argumenti erudito, & Molinianæ doctrinæ, ac præsertim Scientia-Media Mytheria non satis edocto.

Quid rursus audeat illa Pauli Leonardi in utrumque Pontificem animadversio, 1. part. Respons. sect. 5., illud, quod ambitioso verborum, factu ad terrorem inculcant nonnulli, Pontifices Romanos, Clementem VIII., & Paulum V. quatenus particulares Doctores, ipsorum adhæsisse sententia contra Scientiam-Mediam, non utque adeo magnum est, ut hoc solo titulo fa-licior eorum computanda sit opinio: quippe Joannes, hujus nominis XXII., errores procurat & sic. Scilicet egregium in sanctorum Nomen reverentia argumentum! Quid Jacobi Fuliganti,

& Sylvestri a Petra-sancta adnotatio, lib. 3. de vita Card. Bellarmini, cap. 5., Clementem, sub ipsum quidem intentata litis exordium, Bellarmini scriptio, in domesticæ causæ defensionem oblata, æquo animo excepisse; verum spatio temporis cæptum esse, in conspectu haberi, quam non ex æquo futura ea disceptatio videretur? Quali æquam judicii lancem non satis exinde tenuerit Pontifex, cuius aures, ut ipsi quidem effuriunt, ab adversæ partis propugnatoribus obsideri penitus vixisse sunt. Quid illud tandem affectum ab iisdem scriptoribus Clementi responsum, dum illi vir quidam eximius Bellarmini merita ad purpuram referret: *Dignus enim-vero; sed enim Jesuita est:* (1) nisi, ut eundem in Societatem occupatum, intelligamus? Est enim id a Clemente responsum, innuunt, ut, quod pridem inierat, conferenda Bellarmino purpuræ consilium teget; satis tamen, superque significat, illum in Societatem male animatum communiter esse creditum; cuius in ore hæc ipsa, ut susceptum consilium teget, verba ponunt.

En tibi tuorum de Clemente VIII. expostulationes, atque querelæ fati multæ, quæ me vera locutum aperte probent. In his una, ut summe, est: fuisse scilicet illum ab Hispanis in Predicatorum gratiam circumventum: de qua, jure ne, an injuria constata sit, quæri potest. Et tu quidem, Clementem ab anno 1595. ad 1602. ab Hispanis contra Prædicatores potius, in Societatis gratiam, extimulatum agnosces: quod & ego, productis Hispanorum Epistolis, palam feceram: eoque te recipis, ut ab anno saltem 1602. ad 1606. eundem ex adverso contra Societatem, in Prædicatorum gratiam, circumventum contendas, Cardinalis Perronii fide nixus, Hispanos palam, atque aperte Dominicanis patrocinatos scribentis, data ad Henricum IV. Epistola, die 23. Januarii 1606. Verum id ab eo, non ex certa facti notitia, sed ex fallaci suspitione scriptum, offendi: non obsecris duntaxat, ut ais, Hispanorum Epistolis, annis superioribus ad Societatis gratiam datis: (quasi tam pingui Minerva argumentatus essem: Hispani ante annum 1602. Jesuitis adversus Dominicanos imposse patrocinabantur: ergo patrocinabantur etiam anno 1606., quidquid Perronius ad Franciscum Regem scripserit) sed recentis Carolici Regis Epistolis, ad ipsum usque Congregationum exitum datis; notatissime Hispanorum Oratorum supplicationibus, ad annum usque 1606. factis, quæ certo liquet, nihil illos ab Apostolica Sede tunc temporis postulasse, quam ut jus pro causa merito diceretur; ac ne verbum quidem, & apicem addidisse, quo in Prædicatores inclinasse, videri possint. Ex quibus etiam putidæ calumniæ convincitur, quod tu nullis tabulis, nullo teste, probatum, Vir religiosus, modestus, nil nisi charitatem spirans, propalas, ac fingis: *Marcioni de Villena, novo Regis Catholici Oratori, urgentis plurimum Comitissa de Lemos, ob similitates, quas gerebat cum Generali Societatis, datum in mandatis esse, ut in Controversia, que inter Patres Prædicatores, & Patres Societatis, Romæ ageretur, illorum partes contra hos tueretur.* Esti calumniam hanc resellere non est opus, quam ipsemet everitis imprudens, dum totius machinationis arcanum retinere instituis, lib. 6. cap. 1. Hinc enim Illustrissima Comitissa, aliorumque Hispaniæ Magnatum similitates cum Generali Societatis Præposito natas, ais, quod nimio, nec satis æquo, in Confessarios suos, quos e Societate delegerat, studio ducerentur: seu, ut loqueris, quod majorem in illis libertatem tueri vellent, quam per Soci-

cietatis statuta liceret: quibus idcirco, pro domo Dei, pro constitutionum observantia, virili peccatore restiterit Claudius Aquaviva. Ita sit enim-vero, ut natus, illorumque Magnatum ea de causa offensionem incurrit: quis credat, illos ipsos, qui ob id unum Præposito Generali offensi finguntur, quod in Jesuitas Hispanos, quos sibi Confessarios asciverat, immo studio ducebantur, eidem idcirco, in hujus litis tractatione, adversari voluisse, quam is non tam suo, quam Jesuitarum Hispanorum nomine, procurabat?

Accedit alterum, unde Perronium falsi suspensione ductum, luculentius evincit. Si enim, quod anno 1606. scribebat ille, veritatem haberet: *Les Espagnols font profession ouverte de protéger les Jacobins en haïssant, comme je crois, de l'affection, que le Pere General des Jesuites, & presque tous ceux de son Ordre ont montré de porter à Votre Majesté:* seu, ut latine dicam: Hispani palam, atque aperte Dominicanis patrocinantur, ex odio, ut arborum, in Generale Societatis, ac Jesuitas pene omnes, qui primum in Majestatem Vestram affectum demonstrant: Si id, inquam, veritatem haberet; quorundam, rogo te, Hispaniæ Magnates anno duntaxat 1602. Dominicanis patrocinari cœpissent; cum Jesuitici Sodales primum illum in Henricum IV. affectum, (ad ejus nempe cum Apostolica Sede reconciliationem obtinendam) præ se tulerint ab anno jam 1595., quo Jesuitis e contrario patrocinatos Hispanos, disertissime profiteris? *Le Pape me dit, (Cardinalis Offati verba sunt, ad eundem Henricum IV. scribentis, die 16. Februarii 1595.) qu'il devoit lui-même révoquer deux bons offices, qu'il avoient faits en l'affaire particuliers de votre reconciliation avec le S. Siège; & entre autres le P. Commolet, qui étoit ici: & que c'étoit une espèce d'ingratitude de chasser ainsi indifféremment tous ceux de cet Ordre.* Hoc est: *Contestatus mihi est Pontifex ipse, quam beneficium navarint operam in negotio reconciliationis Majestatis Vestre cum Apostolica Sede; ac in his maxime P. Commolet, qui presens Romæ aderat: atque ita non posse circa ingrati animi vitium e Regno indiscriminatim ejici universos.* Certe, si collati in Henricum beneficii memoria recens non obsuit, quin Hispani hoc ipso anno, ac deinceps ad 1602. patrocinati sint Sociis; quis credat, senescentem memoriam effecisse, ut illos, annis inde secutus, odio infecuti sint, partisque adversæ patrocinium idcirco suscepit? Sed dicam simpliciter, quid rei fuerit, quidve Perronium, ad ita Henrico scribendum, induxerit. Clemente ad exitum vergente, ac tum Paulo V. in solium evecto, Philippus III. Hispaniam universam, iis de Divina Gratia controversiis, plusquam civili bello, discissam videns, totque morarum impatiens, quæ ab annis circiter octo judicium traheretur, longe, quam antea, vehementius instituit, ut quantocius ad optatam definitionem Apostolicam veniret; impendenda Regni, ac Provinciis damna subinvenns, si lis ultra traheretur in longum: (1) animo tamen, ut ex datis Epistolis liquet, affectibus in partem alterutram plane vacuo. Verum cum eo res loco essent, ut, si quod judicium ferri contingeret, tota Moliniani formula caderent, quos lata Censorum judicia prædamnaverant; novaque idcirco inducias sibi dari, Socii velent, quas fucidi Dominicanis precabantur; factum inde, ut ii contra Jesuitas urgerent, opemque Dominicanis impendere vixi sint, qui, Catholici Regis nomine, pro definitione

Apostolica, affectibus quantumlibet vacui, supplicabant.

Jam vero parem affectum vacuatum, in hujus causæ tractatione, non attulisse Henricum IV., Galliarum Regem; sed totum in Societatis partes; ex quo saltem Regno ejectionem postliminio recepit, (2) propendisse; eidemque contra Dominicanos patrocinio, & opera adfuisse, merito dixi. Quod quia temere jactatum putas, nihilque a me argumenti prolatum, ais; quod dicto fidem conciliem; hæc tibi non illibenter subjicio, Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus, in Diario Congregationum, cujus verba recitantur a Ludovico Thomassino, Tom. 4. Dogmatum Theologorum, tract. 4. parte 4. Perronius, inquit, *justus fuit ab Henrico IV. Jesuitis favore.* Thomas de Lemos in prolusione ad r. Congregationem, sub Paulo V. celebratam: *Postea videntes Patres Societatis, causam contra illos totaliter verti, & definitioni appropinquare, ad dilatandum, infinita proposuerunt; & medio Cardinali Bellarmino, & alio ex Gallis, Du Perron nomine, invocantibus in suum auxilium Francorum Regem illum, a Clemente VIII. ab hæresi absolutum, rem iterum turbare, conati sunt.* Guillelmus Gibieuf, Oratorii Presbyter, in prænotatione ad Opus De libertate Dei, & creatura: (3) *Rome dum esset Cardinalis Perronius, Oratoris partes agebat, voluntatis Regis (Henrici IV.) obsecutus, qui hanc illi Societatis causam adversus Prædicatores commendaverat. Hic vero, (Parisius) pro Doctore officio, quod se ipsa sentiret, libere pronuntiabat. Ad hæc, ex frequentibus Perronii ad Henricum IV. litteris (4) liquet, Regem Christianissimum in eam se litem intulisse, eandemque de meliori nota suo in Romana Curia Oratori commendandæ, de cuius & progressu, & exitu anxius viveret. Constat porro, Henricum IV., Galliarum Regem, non perinde ac Philippum III., Hispaniarum Monarcham, publicis ad eam litem urgendam rationibus ductum esse, nec pacis Gallici Imperii Theologis procurandæ desiderio, huic se negotio immiscuisse: cum non ita perinde Gallia, ut Hispania, litterariis illis factionibus turbaretur. Resistit ergo, ut privato in partem alterutram studio in eam se litem intulerit. Ecquæ vero pars illa fuit, nisi que florente, præ cæteris religiosis Institutis, apud Henricum gratia valuit, ex quo, semel depositis odiis, in Curiam recepta est? Maxime, cum proprii etiam commodi rationes Henrico non desissent: ut nempe vicem illi Jesuita rependerent, ejusdemque orthodoxiam, haud satis in æmulum animis confirmatam, quaquaverum, ac Romæ maxime, commendarent.*

Neque enim, quod objicis, locum habet: potuisse Henricum a Prædicatoribus, ac majori etiam gloriæ cumulo commendari, si iisdem perinde favisset. Poterat plane: ac Henrico, ut observatum ab aliis est, significatum fuerat, interesse quam maxime, ad confirmandam in omnium animis orthodoxiæ famam, ejurantem sincero animo Calvinismi opinionem urgendam, ut se in eos beneficium præberet, quos implacabili præ cæteris odio Calviniani prosequuntur. (5) *On avoit fait entendre au Roi Henri IV., qu'il lui devoit importer, pour bien établir la réputation de sa Catholicité, de paroître affectueux à ces Peres, que les Calvinistes haïssent particulièrement.* Cui hæc altera ratio accedebat, in Epistolis Cardinalis Arnaldi Offati (6) non semel infinuata; quod Henricus, ob ejectionem superioribus annis Societatem, Ca-

(1) Vide lib. 3. cap. 6. & 7. (2) 1604. (3) Vide lib. 3. cap. 45. (4) 7. Febr. & 23. Decem. 1605. 11. & 23. Jan. 8. & 20. Mart. 18. April. 11. Julii 1608. 25. Julii 1607. (5) Defensio de l'Eglise Rom. p. 1. (6) Epist. 10. 27. 109. 120.

Catholicorum bene plurium invidiam subiisset; quam ut ille, reconciliatis postmodum animis, amoliretur, illos præ reliquis omni beneficiorum genere demereri studuit, suæque fidei testes, & laudatores ambivit.

CAPUT VI.

Historici Animadversiones in vulgatum Cardinalis Perronii dictum, quo Clemens VIII. a sententia deterritus fingitur, ab Eleutherii objectionibus vindicantur.

TRia nos in vulgatum Perronii dictum animadvertisimus lib. 3. cap. 45. 46. 47. Primum, nullam viris Theologis eorum rationem habendam esse, quæ Perronius ad Societatis gratiam Romæ aut gessit, aut dixit: quippe qui, isthæc a se gesta, & dicta, falsus sit, non ex Theologi conditione, ut suum ipse de controversiæ dogmatibus sensum promeret; sed ex Oratoris officio, ut Henrici IV. mandatis obsequeretur; quod ex Gibieuffi manuscripta notatione probatum dedimus. Alterum, dubiæ fidei esse, quod Viro summo verbum affingitur, si cum reliquis eisdem aut dictis, aut scriptis, quæ mens ejus certa dignoscitur, conferatur. Tertium, posse etiam illud ipsum bono animo dictum accipi, neque inde consequens esse, ut Calvinianum errorem Thomistis affriceretur: modo tamen nudis illius verbis stare lubeat, qualia ab illo usurpata referuntur ab iis, qui primi fabulam venditarunt: Nimirum, curatum se, si, quod meditabatur Pontifex, deserviret, ut huic Pontificio Decreto universi Europeæ sectarii subscriberent, sanctamque doctrinam suis chirographis committerent. Iis, pridem in Historia observatis, quartum adjiciam, animadversione longe dignum, ad fidem vulgato dictione penitus abrogandam: Jesuitis scilicet prodidisse primum anno 1632., immo ab iis ipsis, qui canne pejus, & angue, scholam Angelicam oderunt, ac variis calumniis denigrantur; Theophilo Raynaudum in nova libertatis explicatione contra Gibieuffum, part. 1. cap. 11. n. 12., obscuras nescio quas schedas Domini *Le Manchot*, unde fabulam hauserit, venditante; & Francisco Annato in Appendice ad Exercitationem scholasticam tripartitam, sub eminentio nomine Eugenii Philadelphi publicatam anno pariter 1632., ubi Petrum Habertium, Cadurcensem Episcopum, a quo rem totam acceperit, testem appellat. (1.) Ecquis, quæso, professis hostibus fidem adjuget, nil, nisi auditum, ignotasque chartas obrudentibus; repugnante tum maxime gravium scriptorum silentio, qui, ne levi quidem probro dictioni mentione facta, Perronii res gestas, ipsamque ab eo procuratam Pontifici sententiam dilationem, ac suspensionem, posterorum memorie reliquerunt? Et hos tamen fabulæ præceteros secutus incircumspecte Petrus Frizonius, Perronii dictum *Gallia purpurata* inferuit anno 1638. unde subinde plerique fide bona, primigenium fabulæ fontem nescientes, dictionem exscriperunt. Quin, quod lepidum magis, Annatus ipse, pro Scientiæ-Mediæ defensione Tholofæ scriptitans anno 1645. & quam olim procederat, fabulam denuo recantans, non jam se ipsum, aut suum illum Cadurcensem Episcopum dedit auctorem, sed, ut minori uretur invidia, Petri Frizonii nomen, & auctoritatem ostentavit. Neque illud prætereundum, commentum hoc, pro fabulæ conditione, mobilitate viguisse, ac vires, eundo, acquisivisse. Raynaudus enim ne innuit quidem, Pontifici dictum esse,

quod Perronio verbum affingit; sed ei duntaxat quem falsum, aut delusum nollet; qui quis sit, ignoratur. Annatus Summo Pontifici dictum scribit: at cui, non indicat. Frizonius ei Pontifici dictum narrat, qui disputationem de Divinis Auxiliis silentio involvit; atque adeo Paulo V. quod idem Philippus Briettus discrete significat. Cæteri passim Clementi VIII. dictum, hariolantur. Quos inter alii, quo major subit invidia, dictum amplificat, novisque salibus, ac probis inficiunt; alii antilogis inquinant, quæ sensum plane absonum reddant: in quibus est Isaacus Habertius, a capite ad talos Molinianus, in Defensione fidei Ecclesiæ, part. 1. cap. 15. pag. 128., cujus isthæc Gallica verba sunt: *Le grand Cardinal du Perron aiant dit un jour au Pape Clement VIII., que si Sa Sainteté, suivant son inclination, faisoit un decret pour la predetermination de la grace, (qui n'est que problematique en cette matiere, & qui se peut soutenir, sans blesser la foy) tous les Ministres de France souscriraient à son decret: ce Pape sçavant, judicieux, & zélé pour la Religion, résolut, qu'il ne le seroit pas. Hoc est: Cum magnus Perronius Clementi VIII. die quadam significasset, si forte Sanctitas Sua, quod meditabatur, decretum ederet, pro scienda gratiæ predeterminatione, (que problematica duntaxat est, ac, fide intacta, defendi potest) universos in Gallia Calvinianæ sectæ Ministros judicio subscripturos: is, ut erat eruditus, ac prudens, necnon Religionis zelo incensus, nihil ejusmodi tentare constituit. Xeliet ista, qui potest. Ecce enim uno, eodemque ore, ut ajunt, calidum & frigidum efflat: uno, inquam, eodemque calami ductu, problematicam sententiam vocat, quæ, intacta fide, defendi possit; simulque hæreticam, aut certe hæresi proximam innuit; cui, si fanciri contingeret, universi Galliæ Ministri, uti purum, putumque Calvinii sensum præferenti, subscriberent; quæ res Clementem a suscepto consilio dimoverit.*

His obiter adnotatis, ne quem fortasse lateret, quibus primum *Ætopis* prodierit fabula; nunc fatiles objectiones, quæ pristinæ nostras animadversiones elidere tibi visus es, paucis expendio, atque ex ordine. Et primæ quidem, adversus manuscriptam Gibieuffi adnotationem congesta, ad hanc facile formam, & numerum revocantur.

1. Annatus, Gibieuffi librum De libertate Dei, & creaturæ resellens anno 1632., multas ejus falsitates detexit, atque illam in primis, quæ dixerat, in Academia Parisiensi primos ætate sua extare Gratia se ipsa efficacis propugnatores: nulla ergo Gibieuffi danda fides, si quid forte de Cardinali Perronio litteris tradidit, quod huic dogmati suffragetur.

2. Nunquam Gibieuffi manuscriptam illam adnotationem, insertamque in ea Andrea Duvalii de Cardinali Perronio testificationem, publici juris fecit, ut Annato, & Raynaudus pervulgatum Perronii dictum objicientibus, genuinum infringeret: non itaque veram credidit.

3. Ludovico Thomassino, ejusdem cum Gibieuffo Oratorii Presbytero, ignota fuit hæc adnotatio: quippe qui Perronium Dominicanis in Auxiliorum Congregationibus adversatum, innuit Tom. 3. Dogmatum Theologicorum; nec factam fabulæ Parisiis ab Eminentissimo Viro denunciationem vel leviter indicat. Ignota perinde fuit Petro Frizonio, qui nihil ejusmodi *Gallia purpurata* inferuit. Est igitur commentitia.

4. Ferdinandus de Baftida, qui patriæ tandem redditus, Societatis doctrinam simul, & vestem

exiit,

exiit, nuppiam habitam illam Parisiis cum Cardinali Perronio collationem, qualis Gibieuffana illa adnotatione continetur, protulisse legitur, quo suam ille inconstantiam excusaret.

5. Minus in virum politicum cadit, ut Regis arcanum prodiderit, ipsaque etiam Baftida denunciaverit, præfente Andrea Duvalio, ea se in Societatem officia contulisse, coactum Regis imperio. Falsa itaque est adnotatio Gibieuffi, ab Historico publicata, ut primam in vulgatum Perronii dictum animadversionem comprobaret.

Responsio ad singula plana est. Annatum Gibieuffi falsitates detegere intulisse, liquet quidem; at detexisse re ipsa, pernegatur. Et ne ab ea, quam speciminis gratia subijcis, desectamus, potior est Gibieuffi, quam Annati auctoritas, ut in re, de qua queritur, fidem faciat. Erat enim is Parisiensis Academiæ Doctior, quodque de sententia, ibidem communiter tradi solita, contestatur, suo perinde suffragio probant novem ejusdem Academiæ Magistri, editi Operis approbatores, qui fabulas de Academiæ sua jactari haud ita facile passi essent; ac eos inter celebris ille Isaacus Habertius, Parisiensis Ecclesiæ Theologus, Societati tam charus, Gibieuffi Librum, *Auctori pio cum primis, & erudito simillimum, vocans, inscribendum æternitati, omnibus probandum, omnibus profuturum.* Annatus ex contrario, Gibieuffo mendacium exprobrans, ab Academiæ collegio penitus alienum, domesticam causam agebat, uniusque Petri Fulienfis, hospitis perinde in eadem Academiæ, ac peregrini suffragium ostentabat. Nemo itaque fidem Gibieuffo non adjunctæ potius, quam Annato, ubi de Doctrina, in Academiæ Parisiensi tradi solita, quaestio vertitur. Adeoque non Gibieuffi, sed Annati detecta falsitas est.

Gibieuffum manuscriptam adnotationem publici juris nusquam fecisse, nil mirum: cum morte præventus, paratam Operis editionem alteram, cui hæc ipsa inserta erat, in lucem nequaquam emisisset. Longe minus mirari subit, eandem Ludovico Thomassino, ac Petro Frizonio incognitam delituisse; cum nec summa Thomassini eruditio postulet, ut vel minimas chartæ plagulas, in privatorum museis delitentes, perspectas habuerit. Quod de Baftida subjungitur, futilitatis plenum est. An enim desertionis suæ, ac decantatæ palinodie historiam dedit ille, aut quisvis alius, ex cujus lectione scire licuerit, num forte habitam Parisiis cum Perronio collationem aliquando narravit, quo suam ipse inconstantiam excusaret? Jam vero Perronium ea Romæ in Societatem officia contulisse, coactum Regis imperio, arcanum non erat; aut certe diu ante releturatum fuerat, quam Baftidam Parisiis ad colloquium Perronius admitteret: quodquidem id ipsum Franciscus Pegna, Hispanus homo, ac Romæ degens, diu antea noverat, ac Diario inferuerat: *Jussus fuit ab Henrico IV. Jesuitis favore: Etsi nulla amplius Perronio subisset regendi arcani necessitas, ex quo, res fidei ejus, ac silentio commissa, ad exitum perducta fuerat.*

Minus jam momentum habent congestæ secundo in ordine tot argutiæ, quibus, quæ de certa Perronii mente, atque sententia disserui, cavillaris. Ac primo, quæ a te tanto fastu transcribitur, proluxa Annati argumentatio, ut datum a Lemosio Calvinianæ, ac Thomistice doctrinæ discrimen, nusquam a Perronio probatum, evincas, a Goneto nostro convulsa est, in Apologia Thomistarum, articulis 3. & 4. quos totos huic Annati declamationi consutanda consecravit: Ut hinc noveris, te non modo exefa rubigine, sed & infracta jam pridem tela regetere,

Serry Tom. II.

Nec feliciter Annato tuo Eminentissimi Theologi mentem assequeris, dum illum Molinianis opinionibus sinctum inducis, quia lib. 2. ad Responsum Serenissimi Magnæ Britannicæ Regis; Observat. 2. cap. 12. gratiam sufficientem agnovit, quæ cunctis communis est hominibus; atque in actus incontinentiæ E. G. non essent ita inexcusabiles, neque peccata essent, utpote commissa ab illis, quibus non adesset potestas eas actus non committere. Ut enim omittam, procul ab eo dogmate sitam fuisse celeberrimam de Divinis Auxiliis Controversiam; ac videri etiam, periodum illam a Perronio non ex propria sententia poni, sed ex recentium duntaxat Scholasticorum opinionem recitari, atque referri; quippe qui ait, *Donum continentie, de quo S. Paulus 1. Cor. cap. 7. loquitur, non est continentie possibilitas, quæ perinet ad gratiam generalem, quam Scholastici sufficientem appellant, & quæ cunctis communis est hominibus.* Ut id, inquam, omittam, satis allunde me arbitror demonstrasse lib. 3. cap. 49. sub finem, longe, multumque a Molinæ laxitate distare Perronianam illam assertionem, modo tamen, quo sensu a Thomistis nonnullis, ab Alvaresio, Bannezio, Zumele, Joanne a S. Thoma defenditur, exponatur: tamen ut a Baftida prolata fuerat, Pelagianismi a Lemosio notata sit. Nec magis Molinismus olet altera Perronii sententia, a te altius exaggerata: *Qui dona continentie carent, obtinere illud possunt, videlicet, illud a Deo postulando: quasi vero consequens inde sit, voluisse illum, orationis gratiam omnibus semper esse presentem, ac quovis momento se se ingerere? Absit. At id sibi vult unum, posse omnino continentie donum, orando, obtinere, modo Deus orandi affectum operetur in nobis, juxta illud divi Fulgentii lib. 2. De veritate prædeterminationis, & gratiæ, cap. 4. *Dum præcipitur nobis, ut velimus, ostenditur, quid habere debeamus: sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur, ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium: quod tamen non possumus petere, nisi Deus in nobis operetur & velle.**

Sed bellus tu interim, atque lepidus homo es, qui tam modico laboris impendio extricatum te putas a reliquis animadversionibus nostris, ex Perronii agendi ratione petitis, quo illum longe aliter, quam velles, in Thomistice Scholæ doctrinam affectum probant; & quo te altius luto infingis, eo feliciter emeruisse, videri vis. Dixeram enim vero: *Si de Predicationum causa ita male sensit eruditissimus Perronius; cur tot in Epistolis, ad Henricum IV. directis, quibus eum de hujusmodi controversiæ progressu conveniebat, nusquam suos illos sensus aperuit, quos ei gratissimos fore, præsentiebat? Cui ex abundantanti factis factum exitimus, si reponas: Quia non ipsi a Rege mandatum erat, ut Jesuitarum contra Thomistas causam tueretur. Nihil profecto expeditus. At si hoc ipsi mandatum fuisse, jam liquet; annon præclivum effugium est? Addideram: *Si Thomistice Scholæ doctrinam Calvinianæ adeo affinem arbitrabatur Cardinalis Perronius; cur Clementem, ne illam decreto sanciret, duntaxat deterruisse fingitur, ac non etiam, ut eam omnino proscriberet, impulsisse? Qui enim Molinæ dogmata Pelagianismi luto heverè censebant, Viri judices, non ea tantum in Catholicis veritates abire, ac deservire, non sinebant, verum etiam, uti putidos errores, proscribi, atque damnari, postulabant. Quo te expeditum laqueo patas, hocce dato Responso: *Satis tunc Cardinali Perronio visum est, si Pontificem deterreret a probanda sententia Calvinianæ adeo affini. Neque enim marturum tunc erat, ut illius peccetur damnatio. Necdum enim de physica prædeterminatione disputatum coram Clemem-***

R VIII.

(1) Theop. Raynaudus. Franc. Annatus. Petrus Frizon.

re VII. fuerat . . . At postquam physica prædeterminatione, sub Paulo V., a Basilida exagitata fuit; tunc constat, Cardinales Perronium & Bellarminum, coram Summo Pontifice, contra eam sententiam paulo liberius, & vehementius perorasse. Verum, si Paulum ipsum, non Clementem, eo Perronii sermone deterritum voluit illi ipsi, qui fabulam venditarunt, annon nugæ loqui convinceris? Quid quod certissimis documentis hoc alterum liquet, Perronium nunquam de damnanda gratia prædeterminante apud Paulum V. multastasse, (quod utique facturus erat, si Calvinianæ sententiæ affinem censuisset) sed in id unum instittisse, ne (quod Clementi VIII. & Paulo V. in animo fuerat) in fidei dogma transfret; neve dissentientium opinionum alterutra supremo iudicio sanciretur? Ita quippe Gallus Auctor vitæ ejusdem, Operibus præfixa: *Son avis fut, tant pour le respect de ces deux Sociétés celebres, comme des grands hommes, qui y debattoient, comme aussi pour la consideration des choses en soy, qui emportoient beaucoup d'inconveniens, & de difficultés, qu'elle demeurât indécise, sans qu'il fut permis d'en rien terminer.* Quod ita latine dixeris: *Censuit Perronium, partim ex reverentia in utrumque clarissimum Ordinem, eruditissimosque Disputatores, partim, spectato cause merito, que permixtis inconmodis, ac difficultatibus involuta erat, ut in medio relinquere, nihilque de ea decerni, ac definiti liceret.* Et clarissimi Sarmartani Fratres in Gallia Christiana: *Sub Paulo V., cum de Auxiliis Gratiæ, & libero arbitrio, capta Romæ Congregatio sub Clemente VIII., & sere absoluta, iterum convocata esset, atque aggregatus Perronium, partim ejus consilio, questio inter Theologos difficillima, que per quinquaginta annos usque nunc totius Europæ celeberrima ingenia exercet, interminata remansit.*

Mitto, que contra libellum, Perroniana nuncupatum, audacter effusus, ritu verius, ac sibiis explenda, quam seria refutatione refellenda. Quis enim clarissimos viros, Dominos du Puy, Perronii amicos, ac familiares, qui arguta Eminentissimi Viri dicta, atque sententias in eam epistomas collegerunt, ignoviles, & incerte fidei vitæ dicat, & male in Societatem animatos? Aut quis insaufum Valentæ casum, eo libello ex Perronii persona memoratum, eidemque innotescere non potuisse sibi fingat; quod nondum ille Romæ degeret, quo tempore falsi convictus, atque prostratus dicitur Molinianus Disputator?

Dignius operæ pretium erit investigare, adeone paradoxo loco haberi debeat, quod probatum a nobis est, fabulosum Perronii dictum in rectum etiam sensum flecti posse: ut nimirum curaturam se dixerit, (si gratiam se ipsa efficacem fanciret Pontifex) ut Decreto universi Europæ Sæculari subscriberent, sanctamque doctrinam suis chirographis communicent; non quod sanctam illic doctrinam illam ipsam esse, crederet, quam in a sactæ Principibus accepissent, a Synodo Tridentina proscriptam; sed quod sanctam illic doctrinam non longe ab ea distare, certo sciret, quam secutis inde temporibus, ac depositis pristinis præjudiciis, & erroribus, adoptarant. Et quidem Calvinianos bene multos, diu ante Perronii tempora, emolitis Magistrorum suorum pristinis aberrationibus, ne dicam, penitus expolis, ad Ecclesiæ sententiam eo saltem in capite propius accessisse, tam multis, tamque disertis eorandem professionibus, nostrorumque Theologorum, ac Polemistarum suffragiis demonstravi, ut nihil tibi succurrerit in oppositum, quod mutires. Quid mihi itaque Calvinium obtrudis, & qui cum illo, sub reforma-

tionis initium, de gratia, & libero arbitrio tam immaniter delirarunt; cum non illos, sed qui ad sua tempora viverent, in oculis duntaxat haberet Perronium, dum in se fuscipere fingitur, ut Decreto Pontificio, gratiam Thomisticam fancienti, subscriberent? Quid mihi etiam antilogiam, & temporis repugnantiam exprobras, quod scripserim, Calvinitas, & Lutheranos, eo viso Decreto, gratiam per se efficacem fanciente, ad Ecclesiæ premium facilius redituros, vanamque opinionem deposituros, qua Romanam Ecclesiam Molinæ fragmenta pro Catholicis dogmatibus excipere, eaque ratione Pelagianismum approbare, fabulantur? Quasi vero de his ego Calvinianis, ac Lutheranis sermonem habeam, qui Molina, ut ais, nondum nato, ab Ecclesiâ desecraret; ac non de his potius, qui, quo tempore locutus Perronium fingitur, vitam ducerent? Aut forte, quod hic ego de vana recentium Protestantium opinione obiter inui, id Buxtorffii, Leidkerlii, Jurii testimonis non probaverim, quæ nihil, quod reponeres, habuisti?

Iis tu, surda aurè, prætermittis, que tibi hoc in capite jugulum petunt, in altera Petri Jurieu, Calviniani Ministri, sententia cavillaris; quam a me in specimen datam, queris, repudiati tandem apud Sæcularios Calviniani erroris; quem ex contrario purum, putantque hac ipsa sententia contineri, contendis. (1) At, ut rancida calumniam est, diu ante repulsa Tom. 2. Gallicæ Defensionis, cap. 32. & data ad Gabrielem Danielem Epistola, ubi in antecessum, quæcumque objicis, refelluntur; temporis, & operæ parco, nec actum ad lectoris naufeam denuo reago. Interim satis, vel me tacente, prædens lector intelliget, haud alia mente, alioque consilio hæc a me Calviniani Ministri sententiam recitari, atque probari, quam, qua parte recentium Reformatorum nomina proficitur, Divinam operationem, que & voluntatem præcedit, & ad bonum invicte determinat, libertatem ejus minime ledere. . . . Eamque Divina Gratiæ energiam, qua voluntas ad bonum necessario determinatur, non habere libertatem. Ad hoc enim tota hæc nostra collimabat oratio, ut probaremus, recentioris ævi Sæcularios longe, multumque a primis sactæ Principibus abscisississe, qui liberum arbitrium rem de solo titulo, ac titulum de solo nomine, nuncupabant: quod ea Petri Jurieu professione plane conficitur. Si qua vero recitati fragmenti parte gratiam irresistibilem, semper victicem, necessario determinantem appellat, id utique non probatur a nobis, qui non, ut id probaremus, fragmentum excerptissimus. Ut enim in datis comparationibus illud unice spectandum est, ad quod explicandum sunt instituta; ita in citatis quorumcumque scriptorum testimonis in id unum inspicendum, ad quod probandum citantur, ac proferuntur. Quin & erit fortasse, qui dicat, has ipsas loquendi formulas, que sensum in Calvinio prorsus hæreticum præferunt, non perinde a Jurio usurpari: cum & Calvinium, & primos reformationis Architectos, quoad libertatem, & humanæ voluntatis assensionem, ejuret ac deserat: gratiamque idecirco efficacem, irresistibilem ab eo dici in actu secundo, ut schola loquitur, quod nullus illi re ipsa oblitat; eandemque necessario determinantem vocitari, necessitate infallibilitatis, & consequentiæ: quo pacto hæc D. Augustini, Innocentii I. ac totius Ecclesiæ Catholice voces exponimus: *Subventum est infirmitati voluntatis humane, in Divina Gratiâ indolubiliter, & insuperabiliter ageretur . . . Testimonis servavit Deus, ut ipso don-*

nante, invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc desere invictissime nolent. . . . Necesso est, ut, quo adjuvante, vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur. . . . Nostros etiam rebelles compelle propriis voluntates. Id enim ni dicatur, Calvinio, primisque sactæ Magistris adharere, convinctur Petrus Jurius, quos tamen eo in capite deseruisse, compertum est.

In reliquis, que tanto animi æstu, ac motu bile, prosequeris, nil nisi æreum verberas, peregrinos mihi sensus attribuens, hostemque, quem ferias, tibi fingens. Falsum enim r., me duplici scena, eaque longe dissimili, lectorum animos recreare: qui, quem antea Perronium exhibui, totum Jesuitarum rebus, ex Henrici IV. mandato, proeurandis intentum; eundem subinde nihil contra Dominicanos suo illo pervulgato dicitio molitum præferentem, immo etiam Scholæ Thomisticæ adfaventem. Nec enim ego toto illo postremo capite, Perronium in eum, quem exposui, sensum re ipsa loquentem induco, ac Thomisticis re ipsa faventem; cum potius, quod illi verbum assignitur, in fabulis habeam: sed ex data duntaxat, & non concessa hypothese, probandum mihi sumo, affectum Perronio verbum æquo etiam, ac bono in Thomistis animo dictum, censei posse, si cetera contatet fide testium, nec ab Angelicæ Scholæ oribus ad invidiam factum esset. Hoc unum mihi fuisse consilium, verba, initio capitis posita, palam faciunt: „ Ego quidem, inquam, est liberum putem, narrationem, ab æmulis primo vulgatam, exfufflare, „ uti eam nonnullos exfufflasse video, Adversariis „ tamen ex abundantia gratificari malim, quam „ fidem exigere. Ita igitur dixerit, uti volunt „ Eminentissimus Perronium, bene est: at non „ id eo animo dixisse, putandus est &c.

Falsum 2., me usquam effutisse, omnem aliam in Ecclesiâ hæreticam esse censendam doctrinam, præter unam Thomisticam recentiorum: perperam que id elicere, tibi putas, quod scripserim, Theologos orthodoxos Thomisticam doctrinam, veluti Ecclesiæ doctrinæ testem, Calvinianis proposuisse, ut illos ad sana consilia revocarent. Non omnis quippe Ecclesiæ doctrina fidei dogma est, sed eo quoque vocatur nomine quæcumque doctrina, in Ecclesiâ recepta, & approbata, qua fidei dogmata a Theologis explicantur. Uti ex communi loquendi formula, gemino sensu Catholicum dogma dicimus: non illud modo, quod, uti fidei caput, Catholica proficitur Ecclesiâ; sed & illud quod, uti fidei fluxu consonum, eadem Ecclesiâ probat, & recipit. Hoc igitur unum volui loco, abs te vellicato, Theologos orthodoxos fidei caput de concordia libertatis, & gratiæ, adversus Calvinianos vindicantes, Thomisticas explicationes, ab Ecclesiâ receptas, feliciter proposuisse, quam Molinianas, ut illos ad sana consilia revocarent. Quod certe non ita pridem Serenissimi Principis de Conty consilium fuit, ad Descampium Jesuitam scribentis: (1) *Id mirum parium esse, puto, ut prudens tibi consilium offeram, ne videlicet privatas Molinæ sententias, uti Ecclesiæ doctrinam, vendites, si forte in Calvinianos calanum acuas.* Et enim aliud omnino sit substantia dogmatis, aliud explicandi modus; nemo tamen non videt, quantum Hæreticorum conversio retardabitur, si eos illis explicandi modos obtrudas, a quibus multo magis abhorreant, quique ad præsens in causa sunt, cur Ecclesiæ Romanæ Pelagianismum impudentius objiciant. Qua de re plura forte, quam velles, dedimus lib. 3. Historiæ, cap. ultimo.

Servy Tom. II.

(1) Epist. 9. (2) Jesuitæ,

Falsum 3., me Thomisticæ doctrinæ nomine, revocandis ad fidem Hæreticorum animis opportuna, Banegianam, ut ais, ad peccatum prædeterminationem intellexisse; in quam idcirco Thomæ Campanellæ infectas insultationes, ac Trafonicas minas transcribere, gestis. Nihil enim ejusmodi vel per somnium cogitavi: sed gratiam se ipsa efficacem, gratuitamque prædeterminationem, ac finitima dogmata intellexi, in Auxiliorum Disputationibus ventilata; a quibus quam longe ablit Philosophica illa de Divinis ad pravos actus motionibus opinatio, demonstravi sect. 3. cap. 9. 10. & 11. Quo loco eadem quoque opera ostensum est, quid de Thomæ Campanellæ sententiis, quoque jure eundem verum doctrinæ Angelicæ vindicent dicas. Interea, si eo Doctore, atque Magistro uti libet, audi, quam belle tuos quoque gratiæ congruæ vindices ludat, Jesuitas ipsos ad marginem ex nomine appellans, in Centone Thomistico art. 1. Ubi etiam systema illud, revocandis ad fidem Hæreticorum animis perinde improprium, dicitur, ac recentis scholæ Thomisticæ motiones. „ Alii (2) autem aiunt, NEC „ RECTIUS, Deum non prædestinare, nec re „ probare ante prævisionem actuum humanorum; „ item non prædestinari actus liberos per se a „ Deo, sed ab occasione fatalibus; quos quidem „ dem actus dicunt a rerum serie, ut vocabulum „ facti vident, moveri; sic ut agant id, ad quod „ prædestinati sunt homines. Nam, si prædestinatio est post prævisionem actus, tunc actus præ „ viti, ex ferie orti, non ex libertate, ut inde „ pendente a ferie, sunt infallibiles. Et tunc re „ vera nihil excusatur ex hoc Deus: five enim „ per se, five rerum serie, per aliud trahat homines ad suos fines, infallibiliter fiet, quod „ decretum est, & inevitabiliter ad fines ibunt „ præfictos, five præscriptos. Ex quo sequitur „ inferentibus libertatis, e Calvinii femine exortis, quod peccatum non sit peccatum, nisi ex „ opinione; cum ad ipsum impellamur a Deo, „ & effectus causarum magis tibi debeant potentiori causæ, quam debilliori, etiam abque „ hac non fiat. Adde, quod Chrysofostomus super „ Joannem considerat, quod Judas, optima serie „ positus, damnatur, & Cornelius Centurio, in „ pessima, salvatur: ergo voluntas non pendet a „ ferie, nec ejus determinatio, nisi occasionaliter. Anima enim est ratio, que ipsam movens, „ ut Plato, & Patres nostri docuerunt.

SECTIO SEPTIMA.

Sextus, idemque postremus Eleutherianæ Historiæ Liber dispungitur, quo sexta causæ cognitio, seu habitæ sub Paulo V. disputationes, aliaque inde secuta infideliter recitantur, depravantur, corruptuntur.

CAPUT PRIMUM.

Sexti examinis præjudicia fide pessima ab Eleutheria recitata: Antilogiæ, & hallucinationes Historico perperam objectæ.

IN hac tanta, quam pessima fide congeris, figmentorum copia, ut meam de præludis sexti hujus examinis narrationem arrodas, ea nunc intacta prætermittam, que pridem a me, data occasione, rejecta sunt: nec a te ipso exemplum capiam, qui eandem millies naniam occentas, tamen cumulatissime confutatam. Lectorem monere sat erit, que a te de evitato a Predicatoribus,

R 2

(1) Lib. De natura, & gratia, cap. 9.